AUSPICE CHRISTO!

DISSERTATIO MEDICA
DE
LUE VENEREA,

Quam

IN ILLUSTRI AD SALAM ACADEMIA,

PRÆSIDE

VIRO

Nobilissimo, Excellentissimo atq; Experientissimo

GEORGIO VVOLFFGANGO WEDELIO,

MED. DOCT. THEOR. P.P. ARCHIATRO DUC. SAX. ET S. R. I. NATUR. CURIOS. ADJUNCTO,

DN. Præceptore, Patrono atq; Promotore studiorum suorum omni observantiæ cultu ætatem devenerando,

Publicæ Philiatrorum disquisitioni subjicit

In Auditorio Medico,

horis consvetis,

RESPONSURUS AUTOR

M. ANDREAS Löw/

Sempron. Hung.

ad d. Maji, Anni M DC LXXXII.

JENÆ, Stanno Bauhoferiano.

1682

Q. D. B. V.

Procemium.

INgenioſum veterum eſt commentum de ſupplicio Tityi, quo apud inferos improbitatem, & temerariam libidinem indeſinenter luat; vorari nempe jecur à vulture, ſubinde renaſcens, inermi ob ligaturam corpore, finxére.

Quid aliud condi ſub his involucris putemus, quàm morale vulgatum, experientiâ fatali comprobatum: per quod quis peccat, per idem punitur & idem ?

Speciatim verò id de morbis valet, iisque amore inſano, ſeu illicitâ potius venere productis. Coëgit amare jecur; æqvum ergò erat, pati illud ipſum velut immortale, ut *Poeta* vocat, nec fibris requiem dari ullam renatis.

Non hodiè demum cœpit puniri corpus, vel pollui univerſum, per concubitum impurum; antiquum delictum, antiqua pœna eſt, putredo & vermes, ſi *Eccleſiaſticum* audiamus, antiqvus morbus.

Eſt verò & huic inventum remedium, & pœnarum & remiſſionis arbitris conſtitutis medicis. Placuit igitur & nobis impræſentiarum luſtrare luem veneream, quomodo velut vultur non tam animum rodat, quàm jecur, quàm fœcunda pœnis viſcera habitataque ſub alto pectore. Hoc ut feliciter eveniat, divinum annuat numen!

CAPUT I.

De Nomine & definitione.

Cùm, ſecundùm *Ariſtotelem*, initium doctrinæ ſit inquiſitio nominum, operæ pretium erit, ut eò felicius in rei veritatem ducamur, è vario nominum uſu prius nos extricare, & breviter nominis evolutioni inſiſtere.

Scilicet LUIS huic eſt affectui nomen, ſine dubio à λύειν, ſolvere, unde, *Scaligero* autore, luem morbum dicimus, cujus vi corpora ſolvuntur, *l. 1. Poet. c. 4.* VENEREAE verò, quia, qui Veneri illicitæ litant, utplurimum hancce pœnam luunt, &, teſte *Nicolao Leoniceno Vincentino*, puſtulas à partibus obſcœnis incipientes, mox totum corpus, atque ipſam præcipuè faciem invadentes, præter fœditatem, magnum inſuper cruciatum plerumque afferentes, aliaque reportant.

Lues ergò licet generale ſit vocabulum, & ad quemcunque morbum contagioſum referri poſſit, hoc loco tamen eo ſenſu, quatenus ex venereo & impuro congreſſu proficiſci, inque alia ſubjecta per contagium derivari poteſt, ſumitur.

Non uno aliàs morbus gaudet nomine. Quidam enim, præſertim Itali, *morbum Gallicum* appellitant, vel quia à Gallis, bellum cum Rege Alphonſo ad Neapolin gerentibus, per contagium in Italiam importatus eſt, & in Germaniam quoque, autore *Baſilio Valentino Triumph. Antimon. p. m. 52.* quare & inter Gallos primum apparuit hæc lues, referente *Leoniceno de Morb. Gall. Sennert. part. 4. l. 6. cap. 1. Prax. p. 121.* Vel, quia eo tempore, quo homines paſſi ſunt hanc ægritudinem, Rex Gallorum Neapolin Italiæ occupabat. *Nicol. Maſſa de Morb. Gall. c. 1.* Unde originis primæ annus communiter adſignatur 1493. & 1494. à *Paracelſo* 1470. 1480. *Oper. Chirurg. p. m. 272.* à *Benivenio* verò 1496, qui tamen ab Hiſpaniâ incipientem per Italiam ipſam primùm, tum Galliam cœteraſq; Europæ provincias latè diffuſum refert *c. 1. obſerv.*

Occaſio hujus luis, novæ putatæ, generandæ duplex aſſignatur, tum generalis, inaudita, maxima, & inordinata luxuries, vid. *Parac. l. c.* tum ſpecialis, ex conjunctione lepræ & veneris, ſeu copulâ le-

proſæ

prosæ meretricis cum scabioso milite Gallo, ut idem alibi *p. 132. 133. 192. Helm. Tum. pest. p. m. 846.* qui tamen id meritò refutat, & *Job. Sylv. Insul. Tr. de morb. Gall.* referunt. Tacemus quosdam astrorum influxum ipsum accusare, qui eandem produxerit.

Galli verò ignominiam hanc ægrè ferentes in Hispanos transferunt, & per navigationes ex Indiâ, cui scabies omni ex parte lui ♀eæ respondens endemia sit, uti *Bernard. Tomitanus de Morb. Gall. c. 5.* refert, in reliquas nationes irrepsisse contendunt, quare & scabiem, seu *variolam Hispanicam* nominant. Hispani autem videntes Neapolitanos lue hâc graviter afflictos, eam *morbum Neapolitanum*, sive *Parthenopæum*, juxta *Prosper. Borgarutium c. 1.* appellari voluerunt. Quàm frequens enim Neapoli sit, eorum prodit consvetudo, quâ inducti luem hanc non pro morbo amplius, nisi per gummata sese exserat, habent, teste *Barthol. Cent. 1. Epist. 49. p. 205.* Sed cùm hæc lues & Europam, Asiam & Africam invaserit, *Blasius Hollerius in libello de curandorum morborum institutione* eam *κοσμικὸν, mundanum*, nominare ausus est.

Et licet parum intersit, sive *contagium*, sive *Mentagram*, sive *scabiem*, sive *variolam Gallicam*, vel *magnam, la grande verole* Gallis, sive *Pudendagram*, sive *Siphyliden*, quod *Fracastorio* nomen placet, sive *κακοφροδίτην* appellemus; placuit tamen nobis cum *Sennerto l. c.* sine ullius nationis injuriâ & cavillatione eam, ratione causæ & effectûs, Luem Veneream nominare.

His præmissis sequentem ponimus Luis Venereæ DEFINITIONEM, quod nempe sit *morbus lymphaticus, malignus, chronicus, contagiosus, in partibus spermaticis tumoribus, ulceribus & doloribus conspicuus, à miasmate contagioso acetoso & viscido actuato dependens.*

Morbum vocavimus hunc affectum, quia requisita morbi, secundùm receptam hypothesin, optimè huic conveniunt, lædit enim actiones primò, immediatè & sensibiliter, ita ut actio læsa luem Veneream sequatur.

Sunt quidam, qui luem Veneream morbum dicendum minimè, illamq; morbis aliis duntaxat associari rentur, quos tamen à *Sennert. l. 6. part. 4. c. 3. Prax. p. 126 seqv.* sufficientissimè refutatos vide. Cùm vero omnis contagio secundùm *Helmont. l. c.* sive ex leprâ, sive ex peste, sive aliunde contracta, adeoque & lues Vene-

 rea,

rea, verè & actualiter in se sit morbus, non immeritò hoc genus recensemus, imò rectè à *Paracelso Tom. I. Oper. p. m. 143.* maximus, pessimus, & amplissimus morbus vocatur.

Sed cùm Lues Venerea sit morbus πολύμορφος & Proteus variabilis, ratione suæ essentiæ illam pro morbo intemperiei, & quidem malignæ, habemus; ratione verò accidentium ad morbos magnitudinis & solutæ unitatis, licet non nisi secundariò, referri potest, quatenus nempe ulceribus & tumoribus est infamis.

Lymphaticum nominamus, quia principaliter lymphæ, seu humori sanguini contradistincto, inhæret, unde & per cachexiam virulentam totius corporis definit *Jonstonus Synt. med. Pr. l. 6. t. 1. p. m. 1089.* & in partibus sereis seu spermaticis virus suum potissimum evomit.

Maligna verò est, quia secundùm *Helmont. l. c.* cæteras ægritudines in sui obsequium mutat, imò, dicente *Sylvio Prax. Med. Append. Tr. 3. §. 369.* non quiescit, sed eundo vires acquirit, & fermenti instar, per totum corporis habitum se explicat, variaq; excitat symtomata. Etsi enim tanta malignitas, referente *Williss. Pathol. Cerebr. c. 2. de Scorb. p. m. 164.* in Lue Venereâ non reperiatur, ut spiritus sanguinis valdè mortificentur, ejusq; liquor siderationes majores ineat; tamen statuere fas est, quod ingravescente morbo, sanguis deturpetur, & vincula vitalia destruantur magis. Unde & *River. Instit. Med. l. 3. sect. 2. c. 9.* hunc morbum perpetuò malignum pronunciat.

Malignus est non absolutè, ut pestis, febres petechiales, & aliæ, sed secundum quid, ut scorbutus, & lepra, unde nec febris conjungitur, nec alia malignorum strictè sumptorum signacula.

Contagiosa quoque audit, quia non solùm in ipso corpore individuali serpit & seminia sui ab unâ parte ad alteram propagat, sed & fermentum seminale hoc ad extra transplantat & diffundit. Nam juxta *Bernardinum Tomitanum l. 2. de Morb. Gall.* corpora sana, robusta, validis viribus prædita, formosa, optimo habitu constantia, absque ullâ causâ, vel præcedente affectione & morbo, commercio infectorum, brevi temporis spatio, ægra, imbecilla, invalida, deformia, maloq; corporis habitu affecta reddit.

Quamprimùm enim ex virulento corpore ejusmodi fœtida, sordida & depravatæ indolis effluvia in corpus aliàs sanum sese insinuant, ex naturæ quâdam repugnantiâ mox interiorem œconomiam

per-

perturbant, humoribus peregrinam ſuam ideam, ut deinde eò facilius à naturali conſtitutione aberrare poſſint, imprimunt, indeq; varias ulcerum protuberationes, bubonum & tumorum diverſas ſpecies, maculas & puſtulas per cutis ſuperficiem diſſeminant. Et experientia, imò effectus juxta *Helm. l. c.* docet ac palàm oſtendit, Luem Veneream omnem jam mundi infeciſſe angulum, quare & infamis audit, quod tamen cum grano ſalis eſt intelligendum, ut inferius dicemus pluribus. Qui verò per contagium definiunt, videntur cauſam cum ratione formali confundere.

Ratione motûs tandem etſi cum *Helmont. l. c.* Luem hanc planè atrocem, virulentam, ac feſtinanti putredine necantem, ratione corpuſculorum ſuorum minimorum, nullâ visûs potentiâ aſſequendorum, quæ corpus irrepunt, attactosq; humores in ſui obſequium trahunt, quandoque dicamus: cùm tamen, teſte *Sylvio l. c.* §. *31.* lentè procedere ſoleat quarumvis partium corruptio, licet nonnunquam cum atrocibus doloribus conjuncta ſit, non immeritò hunc morbum chronicum ſtatuimus. Quidam enim ſtatim & maturè ſentiunt malum, & doloribus, bubonibus, carie vexantur, quale exemplum refert *Bernardinus Tomitanus l.* 1. *de Morb. Gallic.* de quodam Juvene, caſtra Venerea ſecuto.

In aliquibus poſt duos, tres, quatuor demum menſes, imò & annum ſeſe exerit, de quo vid. *Proſper. Borgarutius Meth. de Morb. Gall. c. 7.* Sic *Platerus l. 3. Obſ. Med.* recenſet quendam, ante ſexennium re cum infectâ habitâ, demum ſenſisſe dolores Venereos.

Nonnunquam ſuperficiales eroſiones in locis ſacris, leniora ulcuſcula in naribus, mitiores puſtulæ in faucibus erumpentes, paulatim eundo totum corpus aggrediuntur, humorum ſyſtaſin pervertunt, archeum ab officio ſuo ritè ſuſtinendo avocant, quo facto, videas tandem, ſerius ocyus ſenſim ſenſimq; omnem ſuam virulentiam evomuiſſe in tumores per univerſum corpus jam exulceratos, in oſſa tam capitis, quàm faciei jam corroſa, in cartilagines omnes jam exeſas, ita ut hâc lue correpti non hominis, ſed monſtri cujusdam ſpeciem præ ſe ferant, vid. *Nicol. Maſſa de Morb. Gall. c. 9.*

Tanta itaque eſt hujus mali vis, ut non tantum ad aliquot annos permaneat, verùm & penes infectum adoleſcat, & vix intereat, imò ſæpe per totam vitã duret, & commoriatur. Vid. *Helmont. l. c. Trajanus*

Petro-

Petronius de Morb. Gall. c. 13. l. 2. River. obs. 9. cent. 1. it. cent. 4. obs. 22. & 29.

Nonnunquam etsi putes peregrinum hunc atque exoticum hospitem jam è stabulo suo, in quod clanculario errore furtivè irrepsit, cessisse, tantum tamen abest, ut declinationem ac fugam susceperit, ut potius restaurationem expectet, recurrat, & post trigesimum etiam annum revirescat, qualia exempla passim apud Practicos occurrunt, ipseque *Sennertus ex Fernelio l. 6. Part. 4. c. 4. p. 143.* annotat.

Spirituosum nempe fermentum non uno impetu principiis vitalibus sese conjungit, eaque in motum inordinatum, fermentativum, citat, sed sensim in poros intimiores sese insinuat, à quibus ægrè ob penitiorem conjunctionem divelli potest. Latens facilè à seminario suo spirituoso actuatur, ut massam sangvineam particulis fermentativis imbuat, ad putredinem & inordinationes corruptivas disponat. Actuatum aliquando naturæ robore ita digeritur, ut vel nulla, vel tarda incrementa capere possit.

CAP. II.
De Subjecto.

Ad SUBJECTUM indagandum nos ducit ordo, quod PRINCIPALE statuimus totam Massam sangvineam, & quidem magis quoad partem serosam. Cùm enim functiones naturales, inprimis quoad Nutritionem in hoc morbo secundùm *Sylvium §. 51. l. c.* observentur læsæ; Nutritionem autem omnem fieri vel à sangvine, vel quod sub coccineâ illâ veste latet sangviniq; confusum, certum fit, vid. *Excell. Bohn. Exercit. Phys. 12. §. 8. D.D. Præs. Physiol. sect. 3. c. 3. §. 5. p. 100.* Massam sangvineam primariò hanc labem sentire statuimus. Vid. *Mœb. Fund. Physiol. c. 14. p. 351.* Confirmat hanc quoque sententiam hujus morbi indoles, quam superius intemperiem malignam, quæ sangvinis & seri *συςατικως* intentatam resolutionem notat, diximus.

Læditur hæc sangvinis & seri proportio, quatenus non tantùm per coitum miasmata heterogenea, fermentescibilia, semini, utpote subtilissimo seri flori, sese insinuant, id corrumpunt, & in ichorem mutant, verùm etiam alio modo extrinsecus lymphæ sangvinique sese con-

conjungunt, & ita fero acidam & concentratam imprimunt acrimoniam. Unde non poteſt non ab indole ſuâ blandâ, lenteſcente, ſubſtantificâ & roſcidâ degenerare, acorem contrahere, viſcidum reddi & coagulari.

Regiam hujus morbi ſedem in HEPAR non collocaſſent *Bernard. Tomitanus c. 14. de Morb. Gall.* & *Nicol. Maſſa, c. 3.* aliique, ſi non idem viſcus facultatis naturalis fontem, ſive primariam ſedem credidiſſent, ſed potius obſervaſſent, hepar (1) conſtare ex vaſis & parenchymate, quorum neutrum ſangvificationis officio fungitur, vid. *Bohn. Exercit. Phyſ. 7. §. 4.* (2) non diſtribuere pulſantem ſangvinem, imò (3) maximè integrum ſalvumque adhuc exiſtere hepar, licet aliæ partes ſymtomatibus ejusmodi vexentur venereis, de quo, præter *Eduardum Maynwaring. cap. 6. de Lue Ven.* legi merentur *Alexander Trajanus Petronius c. 17. l. 2. de Morb. Gall. Theoph. Bonet. Anat. Pract. l. 4. ſect. 10. obſ. 2. §. 5. & obſ. 4.*

Licet verò nullis partibus, dicente *Sylvio l. c. §. 53.* parcat Lues Venerea, omnesque, non ſimul licet nec ſemper, affici poſſint; ſi tamen penitius rem penſitemus, meritò partes ſpermaticæ pro SUBJECTO ADÆQVATO à nobis reputantur. Videmus quippe glandulas, membranas, oſſa inprimis affici & pati.

Latex enim cùm ſit infectus, facilè nunc partes obſcœnas, nunc fauces, nunc palatum, nunc tonſillas aliasque, peregrino ſuo charactere imbuit. Idem verò cum maſsâ ſangvineâ ad extrema usque totius corporis, vibrante quodam motu, circumagitatus & transmiſſus, membranas, cor, pulmones, cerebrum, veſicam, renes, oſſa, inprimis glandulas aliaq; haud difficili negotio inficit; ſerum glutinoſum & condenſatum in glandulis ſubſiſtit & in coagulum abit, hincque virus ſuum in cutem ipſam evomit. Verbo, non tantùm partibus conſtitutivis, ſed & excrementis, ſive aliorum morborum materiis, quas attingit, fermento ſuo ſeſe incorporat, commiſcet, eaq; afficit.

CAP. III.

De Causâ Immediatâ & Mediatâ Proximiori.

De causis dicturis Immediata est seri $\sigma v \varsigma \acute{\alpha} \sigma \epsilon \omega \varsigma$ respectu sanguinis, quoad proportionem, consistentiam & qualitatem à miasmate peregrino successiva, sed intimior læsio.

Hoc ut meliùs pateat, tenendum est, ex hypothesibus *D. D. Præsidis*, in morbis malignis absolutè talibus, principiorum vitalium, sanguinis & seri, vincula & proportionem magis vel minus violenter resolvi, cum majori inæqualitate. Hanc cum natura minus ferre possit, periculosior utique status & periculum vitæ inde majus immineat oportet. In malignis verò secundùm quid id fit cum majori æqualitate, & consequenter tolerantiâ, unde velut adsuetudine successivè inductâ minùs archeus impetitur.

Causa Mediata Proximior, secundùm *essentiam* suam considerata, est miasma malignum, venenosum, peregrinum, idque sero & partibus hinc sereis inductum vel per concubitum, vel commercium impurum. Adeoque vel generatum, vel communicatum contagium hoc statui potest, & quidem sale volatili acetoso, viscido, & acri constans. Cùm enim, seu in coitu à partibus genitalibus, sive alio modo contagioso ab humoribus susceptum, massæ sanguineæ communicatur, eam vitiosis suis qualitatibus ac energiis statim alterat, movet, rarefacit, condensat, asymbolâ affectione vitiat, ejus, inprimis seri, statum mirum quantum deturpat. Unde hinc inde variorum symtomatum in corpore ejusque partibus spermaticis causa existit.

Chimicorum vestigia qui premunt, teste *Excell. D. D. Præs. in tab. 2. de caus. morb. p. 46. theorem.* ⊖ pauco sero resolutum, fortius pungens & erodens accusant.

Paracelsus l. 2. Paramir. de origin. Morb. & trib. prim. subst. cap. 4. ☿io, tanquam substantiali corporis nostri principio, omnia tribuit, dicitque eum à calore adeo subtilem reddi, ut propter interiorem naturæ potestatem à ⊖e & 🜍e sese includi & coërceri non patiatur. ☿ius itaque hoc modo subtilisatus & carnes & ossa permeare potest, pustulas, ulcera, tumores, tubercula aliaque producere. Ast sequentibus capitibus multum quoque tribuit ⊖ibus, dum nempe ⊖ibus corrosivis, resolutis & corruptis, calore interno extra corpus foràs excussis, foramina, ulcera, aliasque erosiones, sive in leprâ, sive in lue venereâ, sive scabie, inductas, adscribit.

Hel-

Helmontius, *loco citato*, luem hanc à fermento duntaxat venenoſo, ſolidis vel liquidis noſtris partibus, odoris inſtar, affixo, deducit.

Auguſtus Hauptmannus & *Kircherus* ad vivam mortis imaginem, ſeu verminoſam putredinem hujus luis ortum referunt. Supponunt enim (1) morborum omnium cauſam eſſe abditam quandam inter occultos humorum receſſus putredinem, (2) putredinem quarumcunque rerum à vivente originem ſuam trahere, (3) putredinem omnem ad diſpoſitionem in vivens animari, (4) pro variâ humorum dyſcraſiâ putredinem pro combinationis humorum malignantium lege variâ, virus diverſum, diverſasque in operando vires acquirere. Ex quibus concludunt, fœturam inde pullulantem omnibus ineſſe morbis, tanto utique perniciofiorem, quantò virus animatum inanimi violentius eſt; vid. *Kircb. Scrut. Phyſ. Med. Peſt. ſect. 1. c. 8. p. 33.*

His quoque ſuffragatur *Chriſtianus Langius*, qui tàm corroſivam humorum peccantium acrimoniam in corpore humano, adhuc vivo & ſuperſtite, fieri poſſe, quæ ſolvere oſſeam ſubſtantiam, eamq; in gummoſam ac liquidam convertere valeat, negat, animatæ autem putredini id confert. De hâc tamen ſententia, ſatis ſpecioſâ, quid ſentiendum ſit, vid. *Excell. D. D. Præſ. Tr. de Med. Facult. t. 2. ſect. 2. c. 5.*

Sennertus l. 6. part. 4. c. 4. Prax. p. 139. malignitatem in occultâ qualitate conſiſtentem agnoſcit. *Fr. Sylvius Tr. 3. Prax. Med. App. §. 36.* venenum venereum in acido, ſed ſuo modo peccante, conſiſtere ſtatuit; id quod omninò verum eſt, ſi principium primum morbi attendamus.

Williſius ſect. 3. c. 7. Pharmac. Ration. p. 261. hujus affectus cauſam à miaſmate maligno, & prorſus heterogeneo, ſanguinem & liquorem nervoſum ad tempus quoddam inficiente, & quaſi venenante, eorundem verò craſes non prorſus evertente, aut quoad futurum penitus depravante, derivat.

Quoad *modum eſſendi* cauſam hanc *quantitatè* hîc peccare, opus non eſt, cùm fermentum hoc imperceptibile, venenoſum, ſubtilitate & activitate ſuâ eandem facilè & abundè compenſet.

Qualitatibus verò peccat non tàm primis, quàm ſecundis, v. g. 1. *Aciditate* fracidâ, vappeſcente, quæ ſi gingivarum aliarumque car-

nes ſubit, materiam nutritioni dicatam corroſivitate ſuâ corrumpit, ut propter laudabilis nutrimenti defectum caro flacceſcat, denteſque amplius ſtabilire nequeat, quin comminuantur &, alveolis diſſolutis, decidant. Oſſibus quoque acidum hoc allabens roſione ſuâ cariem inducit, quæ licet non à ſolo acido dependeat, ſed & ab alcalibus, potentioribus nempe, quod oſſium poroſæ magis partes in elixatione pro ſceletis nitidioribus conficiendis adornatâ, ſi lixivium, cui hæc incoqvuntur, aliquantò potentius fuerit, mox arrodantur, & carioſis quàm ſimillimæ reddantur, annotante *Excell. D. D. Bohnio, Epiſt. de Acid. & Alcal. inſuffic. p. 32.* produci poſſit; attamen & alia aciditatem hîc peccantem probant. Inprimis id à poſteriori, coagulatione nempe ſeri in partibus glandoſis, eluceſcit, quam ab acido oriri palam eſt, quatenus ſeri motum retardat, præcipitat & in diverticulis ſuis magis ineptum reddit, quo exiſtente, partes nervoſas ac tendines rodi neceſſe eſt. Vid. *Beck. Experim. & Medit. circa Rer. Natur. princ. p. 47.*

2. *Viſciditate*, quæ ex productis, ſectionibus, aliiſque pateſcit. Tuberoſitates enim, tophos, perioſtio accreſcentes, huic morbo ſupervenire certum eſt, quæ cum, teſte *Sylvio §. 94. l. c.* materiâ pituitoſâ, viſcidâ & coagulatâ conſtent, glandulasq; mirum quantum diſtendant, meritò tenacitatem huic miaſmati adſcribimus. Confirmat hoc quoque experientia *Nicol. Maſſæ*, qui *lib. de Morb. Gall. c. 4.* ſe ſæpiſſimè ſtudiosè puſtulas luis venereæ aperuiſſe, nilque, niſi materiam albam, viſcoſam reperiſſe, *ſcribit.* Imò vidit ſæpiſſimè in iis, qui lue hâc, cum doloribus crurum, laborabant, locis dolorum inciſis, materiam albam, viſcoſam, adhærentem perioſtio, juncturis aliiſque partibus. Et gonorrhœa ipſa cum nil, niſi purulentam, viſcoſam, mucoſo-fœtidam, ichoroſam materiam excernat, viſciditatem in hoc morbo peccantem ſatis probare videtur. Quin ipſum hoc miaſma, cùm variis objectis, linteaminibus, culcitris, lecto, veſtibus, cultris aliiſque adhærere, hinc poros forinſecus penetrare, humorem intercutaneum inquinare, & ita peculiarem coagulationis modum introducere valeat, particulas ſuas viſcoſas, lentas, tenaces ſatis ſuperque manifeſtas reddit. Ut verò aciditas humores figit, ita viſcedo eosdem irretit; illa dolores, hæc conſtantes parit.

3. *Acrimoniâ*, quæ, uti ſalibus omnibus propria eſt, ita in gonorrhœâ virulentâ ſeſe abundè manifeſtat. Ibi enim emunctoria,

dicente acutiſſimo *Williſio Pharm. Rational. p. 45.* virulentiâ quâdam afficiuntur, corroduntur, ut laticem illuc miſſum corrumpant & amplius continere nequeant. Quare non modò iſte perpetim manifeſtâ acredine imbutus amandatur, & copiosè per pudenda effluit, ſed & alii totius corporis humores ſuperflui, aut excrementitii, ad partes iſtas corruptas affluentes unà profunduntur. Dolores quoque intenſiores, qui per lancinationes ægros afficiunt, ſatis de acrimoniâ, quæ oſſa & panniculos arrodit & diſtendit, quorum panniculorum ratione oſſa dolere, ac veluti terebrâ perforari videntur, teſtantur.

Quod verò dolores hujus morbi noctu atrocius, quàm interdiu ingraveſcant, ratio ea nobis ſubeſſe videtur principalis, quod ſerum, ſalium vehiculum, archei dominium plenarium excutiens, univerſali humido noctu magis auſcultet, unde ſalia ſylveſtria, acria ad membranas delata iis ſeſe copioſius affigunt. Illis verò ſubſiſtentibus, &, propter lecti calorem, inſignius rarefactis & agitatis fibræ nerveæ ſupra modum vellicatæ & divulſæ, flatuque vaporoſo diſtentæ, corrugationes ſummè dolorificas ineunt; vid. *Williſ. Pathol. Cerebr. c. 4. de ſcorb.* Cùm ergò hæ particulæ heterogeneæ obſtructis poris, aërisq; conſtitutione frigidiori eo tempore & humidiori exiſtente, ſubigi, & per inſenſibilem evaporationem in halitum digeri nequeant, non aliter fieri poteſt, quin pungentibus ſuis acutisque angulis, quaſi ſpina infixa, membranulas partium lancinent, noctuque plus, quàm interdiu tyrannidem ſuam exerceant. Vid. *Joh. Lang. Ep. Med. 42. l. 1. Petr. Trapolin. de Morb. Gall. Proſper. Borgarut. de M. G. c. 3.* Accedit tandem, quod objecta ſenſibus non obverſentur noctu, quæ retrahant animum, doloresque demulceant, ſed potius ſibi habitet tunc homo, atque nullis diuturnis detineatur negotiis, vid. *Rolf. conſil. Med. l. 5. cap. 5. p. 582.*

Acrimoniam verò, præter jam dicta, non tantùm pilorum defluvium, quod omninò aliquid acre ipſorum radices rodens, atque nutritionem impediens, præſupponit; verùm etiam ulcera fœdiſſima & cacoëthica, carnes & oſſa depaſcentia, cruſtoſa tubercula inſtar verrucarum & variolarum majorum in facie, intra nares & extra pinnas narium, in collo, glande & alibi erumpentia, hîc peccantem produnt. Poſtquam enim particulæ acres ſeri, in ſuis diverticulis & glandulis ſubcutaneis coagulati, ſubſiſtentes incrementum capiunt,

 in

in vasa verò recipi non possunt, per cutem in tenerioribus & rarioribus dictis partibus exitum affectant, fibrillas membraneas attollunt, easque crispant. Eleganter *Fracastorius*, quoniam, *inquit*, erodit, atque exest contagio hæc, oportet & seminaria illius acria esse, quanquam in lentore multo obsepta sepultaque, *l. 2. de morb. contag. c. 12. p. 184.*

Causa verò hæc *motu* peccat duplici, tum *generationis*, tum *locali*. Generationis nullus alius est, nisi externus, distantia utplurimum non penetrans, sed potius attactis membris adhærens, quo loco duæ quæstiones delibandæ veniunt, quarum prima est: An humores vitio proprio in corpore nostro, nullo accedente externo, adeo corrumpi queant, ut per se uligine suâ, nullo concurrente impulsu externo, in proprium subjectum agere, & Luem Veneream propriè dictam, producere valeant; id quod omninò negamus. Tenemus quidem ex *Divi Senis* nostri scriptis, homini inesse & amarum & salsum, & dulce, & acidum, & acerbum, & fluidum, & alia infinita, omnigenas facultates habentia & copiam & robur, quæ variè misceri, & ad infinitas potentias atque operationes incomprehensibiles modificari inflectiq; possunt. Ast cùm primâ suâ origine venenum hoc sit venereum, & causæ sociæ etiam ad hoc producendum malum stent pro unâ, nec experientia firma in contrarium prostet, non inducimur, ut contrarium tueamur. Corruptio enim seminis, nisi à naturâ per ἐξονειρωγμὸν excerni queat, in solitario individuo alia potius quævis mala, quàm hoc venereum citaverit; neq; simplex gonorrhoea cum virulentâ est confundenda.

Nicol. Massa c. 2. de M. G. commotus exemplis quibusdam, v. gr. duorum puerorum, quorum unus trium, alter undecim, & puellæ, sex annorum, hâc lue correpti, qui tamen non amplius errorem cum lacte nutricis sugere, neque adhuc ex congressu contrahere potuerint, hanc ægritudinem fieri aliquando ab intrinsecâ alteratione asserit. Huic quoque subscribit *Alexander Trajanus Petronius c. 22. de M. G.* aliique, permoti exemplo matronæ, famæ integerrimæ, quæ cum infectis nullâ planè consuetudine usa erat, hoc tamen morbo afflictæ. Verùm enimverò cùm jam ex superioribus constet, nonnunquam morbosa hæc semina non statim in lucem prodire, sed per aliquod tempus, imò multos annos delitescere, quin

per

per externum consortium inadvertenter impetere, fieri omninò & hîc potuit, ut seminales hasce ideas vel à parentibus, vel à nutrice, vel aliis causis, ante multos jam licet annos, aut potius contubernio tali contractas, per se quidem torpentes ac steriles, accedens tandem motor explicaverit, excitaverit ac fœcundaverit, vid. *Beck. Princ. natur. p. 239.* Quamdiu enim archeus noster seminea hæcce principia non apprehendit, sibi appropriat, corpusque nostrum benè dispositum reddit, tamdiu actus activorum fieri nequit; vid. *Excell. D. D. Præs. theor. 62. sect. 2. part. 2.*

Certum itaque & indubitatum esse, proprio & essentiali spontaneo interno vitio humores in corpore existentes, inprimis apud Europæos, sine aliquo contagio, non excludere posse Luem Veneream propriè dictam, cum *Sennert. l. 6. part. 4. cap. 4. Prax. p. 140. & 135. Sylv. Prax. Med. App. Tr. 3. §. 23. 24.* concludimus.

Alterum Problema est, an omnis lues venerea vel ab Indis repetenda, cum tamen Lusitanos primitus illuc ingressos incuset nemo, neque satis sit id affirmare; vid. *Helm. l. c. p. 845.* Vel à primo illo infausto anno, 1493. quo primitus exorta vulgo statuitur, unicè per traducem & continuatum individuale contagiū propagata sit, nec ne? Negativam tenemus omninò, quod sufficiat contagium per concubitum impurum generatum, tanquam flagellū illicitæ veneris, sive mas prurigine immodicâ plus justo spongiosas genitales partes exacerbet, seu fœmina, quosvis inprimis admittens, uliginosam acrimoniam membro immisso affricet, utrobique calore & motu laxatis magis poris, & turgentibus spiritibus; sive potius utriusque illicito vel contagioso concursu hoc malum prosurgat. Unde nec Veteribus incognitam fuisse, positâ eâdem causâ, arguimus. Legi hanc in rem, ut breviter nos absolvamus, possunt instar omnium *Lang. l. 2. ep. 14. p. 618. Beniven. observ. medicinal. c. 1. p. m. 94. & Dodon. in annot. ut & Isaac. Pontan. ib. p. 100.* Id quod notandum est contra *Scaligerum*, qui *ex. 181. t. 18.* meritò ac jure Indicum dici vult, nostris partibus per contactum communicatum.

Generatur ergò 1. per *concubitum impurum*, idque omnium frequentissimè, in quo & mulier virum, & vir mulierem contaminare potest. Mulier scilicet eam, vel contactu ulceris in partibus obscœnis existentis, vel per seminaria luis venereæ, quæ, ut quando-

que

que exterius in pudendo nulla eorum compareant ſigna, in rugis tamen ſinus muliebris & poris deliteſcunt & latitant, donec ſuo tempore effloreſcant magis, teſte *Excell. D. D. Præſ. Phyſiol. ſect. 3. c. 28. p. 205.* vel aliis nefandis modis, quos lubens ſilentio prætereo, viro affricare poteſt; vid. *Jacob. Cataneum de Morb. Gall. c. 3.* Hoc enim pacto à meretrice ſordidâ, libidinis actu prægreſſo, usque in teſtes maris, attrahitur ipſa lues, gonorrhœam, carcinoma atque bubones venereos excitans, dicente *Helmont. l. c.*

Vir verò hoc morbo laborans mulierem ſimiliter per humoris virulenti effluentis & acris, hincque ulterius ſerpentis communicationem facillimè poteſt inficere. Nam cùm in congreſſu vehemens obſervetur agitatio, perfrictio, attritio, quibus fervidus excitatur calor, haud difficili negotio ſeminis non tantùm in vaginam, ſed & uterum miſſi, peregrino charactere fœti, ſive alius materiæ ſanioſæ, principia evolvere, eorum miaſmata in motum rapidiorem agitare, per poros patulos ad partes amandare, iisque apponere, & ita mulierem inficere valebit, qualia exempla vid. apud *Fel. Plater. Obſ. Med. l. 3. p. 715. & 718. Sennert. l. c. p. 142.*

2. Per *Oſcula* hoc malum contrahitur, quando citra ullum coitum partes oris, ſuâ naturâ molles, raræ, labiorum ſpongioſorum lingvarumque conflictu atque commorſu, mediante ſalivâ, oris ulceribus, exeuntibus fuliginibus, malignitatem, facilè interiora faucium penetrantem, hauriunt.

3. Per *Mammas* promovetur hæc lues & à lactantibus & lactentibus. A prioribus, ſi nempe nutrix, conſpurcata hâc lue, non tantùm ſanie ex ulceribus & fiſſuris mammarum, verùm etiam lacte, fermenta venerea cum infante communicat, qualia exempla videri posſunt apud *River. cent. 1. obſ. 91. it. cent. 2. obſ. 95. & cent. 4. obſ. 91.* Morbus enim hic inprimis in ſero reſidet, quod ex antecedentibus patet, morbos autem ſeroſos à nutricibus infantes ſugere poſſe, vel unicum exemplum tuſſis præ omnibus manifeſtum reddit; lac verò partem chyloſiorem & ſeroſiorem ſangvinis eſſe, ex Phyſiologicis conſtat, unde omnium optimè hoc latice morbus hic in infantem migrare poteſt. Lactentes ſpongioſas nutricum papillas, ſuctione excalefactas, poroſque apertos habentes, impuram communicando ſalivam, vel exhalationes vitioſas, facillimè imbuunt.

Poro-

4. Quandoque contagiosa hæc lues *per accubitum, sudorem* & vaporosam transpirationem corporum socialium communicatur. Poros nempe patulos haud difficulter effluvia à corpore infecto decidua, quantitate quidem parva, ast potentiâ & virtute magna, subire, corporis intima penetrare, humorum massam inficere, serpendo viscera rodere, malignas suas particulas per intimas corporis fibras spargere, adeoque corpus ad varia sustinenda symptomata disponere valent.

5. Huc quoque pertinent infantes *in utero* materno, vel à patre, vel à matre infecti. Patris enim semen, ovulum matris fœcundans, miasmate morbido imprægnatum, quamprimùm evolvitur, statim etiam miasma hoc, licet aliis particulis obvolutum, δυνάμεις suas exerit, elementa sua exsuscitat, fœtuique, matre etiam luis hujus experte, & salvâ manente, implantat, quale exemplum refert *Schenckius l. 6. obs. Med. de lue Vener.* Mater verò, cùm & materiam fœtûs præbeat, eumque deinde sanguine suo & sero nutriat, illi facilè peregrinum characterem imprimere potest, cujus particulæ adhuc in utero materno evectæ liquoris crasin juxta indolem suam adeò pervertunt, ut statim cutim variis pustulis atque ulceribus deforment, quale exemplum vid. apud *Laz. River. in obs. communic. 26. p. 679.*

Tandem etiam 6. eo modo, quo Pestis, per *communionem materialem aliam*, ut lintea, pannos, lectum, cultros, vestes, vasa cujuscunque generis, cochlearia, pocula, novaculas, cucurbitulas, latrinam aliaque malum hoc communicatur.

Atque hoc modo hausta peregrina miasmata occultâ machinatione poros subeunt, à vasis lymphaticis, sanguifluis aliisque excipiuntur, cum illis circulantur, humori contento & glandulis subcutaneis vitiosum suum characterẽ imprimunt, serpendo vitalia adoriuntur, diversas regiones corporis perambulant, iisdemque symptomatibus, quibus ex insitâ sibi vi infectos vexare solent, exagitant, archei verò robore ad exteriora nonnunquam pelluntur. Vel potius recipientes partes duplices statui queunt: propriæ, genitales porosæ, glandosæ, molliores & ad recipiendum μίασμα peregrinum venereum in utroque sexu aptæ; & communes reliquæ, ex quibus ad laticem ejusque diverticula prompta adest via, nisi quid impediat.

Nec difficile ſic eſt de *locali motu* diſſerere. Cum enim morbus ſit ſeminalis & ſeroſus, cum inſignis ſeri & ſeminis ſymboliſmus, cum ſemen ſero ortum ſuum debeat, & nihil aliud quàm hujus fœtus ſit, unde quale ſerum, tale ſemen, & vice verſâ; principaliter in genitalibus, adæquatè in reliquis ſe exerit; illud potiſſimum, ſi per venereum, hoc, ſi per aliud conſortium facta ſit communicatio contagii.

VIÆ ergò ſunt pori, ſeu vaſorum lymphaticorum & glandularum ſpiracula, unde in vaſa dicta ſeroſa & ſuo modo etiam ſanguiflua revehentia facilis eſt permeatio.

CAPUT IV.

De Cauſis mediatis remotioribus.

Inter CAUSAS REMOTIORES NATURALES memorandum primo loco eſt TEMPERAMENTUM. Cum verò morbus in ſalis ſpirituumque fixatione, dicente *Willio de Morb. Caſtrenſ. §. 4. p. 19.* ſeu potius lymphæ deturpatæ ſinu conſiſtat, ſuâ ſponte patet, illud temperamentum præcipuè huic affectui velificari poſſe, quod de ſero, acido & viſcido magis participat, quale eſt melancholicum & pituitoſum. In illo enim cùm ſanguis & ſerum quantitate & qualitate ſeſe minus temperent, ſed à blandâ ſuâ dulcedine remittant, particulæ 🜍eæ & o°o ſæ balſamicæ obtuſæ ſint à ſero minus blando, facilè hunc morbum fovere, ejus ſalia ſilveſtria, fixa, acore ſuo adaugere poteſt. Vid. *D. D. Præſ. Phyſiol. ſect. 2. c. 11. p. 82.*

In hoc verò prompta eſt viſcedo & lentor ad coagulum pronus, unde ut in melancholicis & atrabilariis facilè fiunt exulcerationes, in pituitoſis glandularum tumores, utrumque tantò magis contingere poteſt, accedente peregrino charactere venereo. Spectant huc quoque, qui calidi & humidi ſunt temperamenti, ſeu ſanguinei, quorum temperamentum calidum & humidum particulas ſuas in majorem motum citat, poros apertiores ſervat, per quos miaſma peregrinum ſeſe inſinuare, acrimoniâ ſuâ ſerum imprægnare, à ſtatu na-

tu naturali dejicere, & ſic maſſæ ſanguineæ intemperiem hanc introducere valet. Hinc & TEXTURA corporis, HABITUS rarior laxiorque ad ſuſcipiendum, durior verò ad fovendum hunc morbum, non parùm confert.

SEXUS uterque huic morbo eſt obnoxius, inprimis fœmineus, ob ſeroſiorem ſtatum ſanguinis, locaque ad recipiendum hoc miaſma aptiora. Huc quoque omnis facit ÆTAS, inprimis infantilis, utpote habitûs rarioris, carnis mollioris, & puerilis, ad contagium generale aptior, alias innocua, & juvenilis, in libidines facilè ruens, quæ ob majorem acrimoniæ gradum, & feri ac ſeminis ὀργασμὸν, ut de licentioſâ vitâ nil dicamus, ad ſuſcipiendum hoc miaſma apta nata eſt, maximè ad contagium ſpeciale, per genitalia. Senilis verò ob deficientem calidi & humidi ἔκλαμψιν, oleoſitatem balſamicam, non æquè tantum huic morbo præbet fomitem.

HÆREDITARIA diſpoſitio huc quoque trahi debet, quatenus miaſma mediante humore genitali, peregrino charactere inquinato, communicatum, inſtar fermenti venenati ſeſe habens, è particulis, quibus hactenus incluſum erat, velut è carceribus ſe liberat, particulas ſalinas evehit, inque hanc labem deflectit. Vid. *Willis. Pathol. Cerebr. Tr. 2. c. 2. de ſcorb.*

EX NON NATURALIBUS primus nominandus eſt AER, à quo ipſo humanum noſtrum corpus varias mutationes recipit. Confert autem hic ipſe, ſi vera fatemur, magis ad ſuſcipiendam hanc labem & exacuandam, quàm inferendam. Priori nomine incuſandus præprimis eſt calidus, quatenus nos ambit, poroſque cutis apertos penetrat, ſanguini ſeſe aſſociat, eum particulis ſuis heterogeneis in majorem fermentationem citat, & ita diſpoſitum reddit. Poſteriori vero frigidus & humidus, valloſus & paludoſus, cùm compingendo morboſorum vaporum reſolutiones, eorumque ſufficientem eventilationem prohibeat; hinc dolorum venereorum faces in capite, tibiis, aliisq; locis nocturno, frigidiori, aëre magis obſervantur accendi, ut opera tenebrarum in tenebris quoque videantur puniri magis.

Quod verò ASTRA eorumque influxum attinet, licet hujus morbi initium in conjunctione ♄ni, ♂is & ♀is in ſcorpione, *Cataneus*, *Maſſa*, aliique, *Fracaſtorius* verò in ☌ ♄, ♃, & ♂ *l. c. p. 185.* ſtatuerint, de quo latius vid. *Proſp. Borgarut. de Morb. Gall. c. 4.*

Sennert. l. c. p. 137. aliique autores in opere Veneto *Jordani Ziletti* occurrentes; gratis tamen id dictum putamus. Ortum id fuit unicè ex falsâ hypothesi duplici, enatum fuisse morbum ex sordidâ aëris putrefactione, adeoque ex hâc ratione in tot regiones velut publicâ epidemiâ labe disseminatum; alterâ, morbum esse malignum absolutè & occultis qualitatibus adscribendum. Neque enim, nisi per contagium solum, propagata fuit lues vel tunc, vel hodiernum usque in diem, fatentibus vel ipsis assertoribus; neq; pestilens unquam reverà fuit. Rectè idcircò & eleganter *Manardus l. 2 ep. 1. p. m. 16.* Nihil comparet in hoc morbo, *scribit*, quod in manifestas causas referri non possit, vel quod ad occultiores illas proprietates, quasi ad asylum, fugere nos compellat. Nam unde pestilentiam aut venenum ejus deprehendimus? ubi plura elegantissima habentur. Multò minus cum *Scaligero l. c.* putandum est, Indis illam miseriam ab astris defluxisse peculiarem. Non tam invidum est cœlum vel infaustum humano generi; & si quid dicendum est, eodem modo concurrit remotius, quo aerem huc facere diximus.

CIBUS & POTUS in recipiendo fovendoque hunc hospitem minimè reliquis cedit. Quod si enim cibi concoctu difficiles, v.g. legumina, olera, fructus horarii, carnes humidioris succi, pisces, & id genus alia, it. nimis calida, potus nimius, fæculentus, vinum nimis calidum, aliaq; assumuntur, non modò humores in corpore peccantes ad labem hanc suscipiendam disponunt; verùm etiã ipsa præsens jam fovetur, inprimis si ægroti luxui & crapulæ simul indulgeant, unde particulæ acres volatiles excrementitiæ & onerosæ calorem & acredinem sanguinis & seri ulterius adaugent.

VIGILIARUM intemperantia suum quoque addit symbolum. Uti enim somnus spirituum animalium quies est & pabulum, ita vigiliæ nimiæ eos absumunt, dissipant, chyli distributionem sanguinisque motum retardant, multos humores vitiosos in corpore generant, calorem resolvunt, vires dejiciunt, cruditates adducunt, unde hoc pacto natura labefactata, sibi adversa & inimica declinare minus potest, sed peregrino ingratoque hospiti succumbens domicilium hinc magis præbet.

SOMNUS verò tum per se torpedini humorum serosorum vacat, tum per accidens ob accubitum calore socio poros invicem

aptat,

aptat, ut fuligines ſeroſæ malignæ exſpirari & inſpirari promptè queant.

Motus & Quies non minus accuſandi ſunt. Quemadmodum enim hæc nimia cruditates, calorem ſegnem ac deſidem parit; ita ille nimius chylum citius, quàm par eſt, in vaſa præcipitat, partes excrementis & cruditatibus replet, humores accendit, fermentationem p. n. inducit, roridas partes nutritias abſumit, totamq; maſſam ſanguineam ita diſponit, ut poris partium æſtu recluſis & patulis, peregrina miaſmata facilè recipiat.

Retenta nimium quantum ad hunc morbum fovendum concurrunt; quatenus halituoſa excrementa, fuligines ſylveſtres, imò & feces in corpore noſtro genitæ, minus ſequeſtrantur, ſed potius retinentur, & ita materia morboſa accumulatur. Imò & retentum ſemen inducto hoc charactere hoſtico acrimoniam facilius recipit & veſicularum hinc ſeminalium exulcerationem parturit.

Sic & error in excretis commiſſus unicè huc facit, ſi nempe quis Veneri litat impuræ, unde totũ corpus, & inprimis membra huic operi deſtinata incaleſcunt, adeoq; poris & meatibus apertis, atomi hæ & effluvia venerea facilius ſe illis inſinuare poſſunt, quibus fracidus viſcoſusque character ſero imprimitur.

Animi tandem Pathemata à culpâ penitus abſolvenda non ſunt, utpote quæ modò calorem reſolvunt, modò ſpiritus ſuffocant, modò diſſipant humores vitales, modò agitant, accendunt, modò coagulant atque concentrant, ut amplius archei imperio non auſcultent, ſed citius peregrina miaſmata ſuſcipiant.

Causæ denique Præternaturales non parvi hîc ſunt momenti. Quicunq; enim manifeſta vel occulta quorumcunq; morborum affinium habent penes ſe initia, luem facilè contrahunt, utpote quæ in varias morborum larvas aſſociatione transmigrat. Sic ſcorbuticorum & hypochondriacorum corpus ad hujus luis venereæ acceſſionem jam exiſtit prædiſpoſitum. Sic & quartanarii, quorum particulæ balſamicæ oleoſæ depreſſæ, ♀eæ verò cum ſalinis, acetoſis, auſteris, impuris abundantes hanc luem facillimè ſuſcipiunt, quale exemplum refert *Platerus obſ. l. 3. p. 720.* Sic quoq; hæmorrhoidum fluxus, qui ſanguinis impuri, acrioris & ſcorbutici ſtatum manifeſtat, ſerum totamque maſſam ſanguineam ſatis ad aſſumen-

dum hunc characterem reddit aptum, quale exemplum in studioso quodam observavit *D,D. Præses.*

CAPUT V.
De Differentiis.

Differentias lues hæc sortitur varias, quarum ratione & signa & curatio variant.

1. Ratione FORMÆ, alia *doloribus* magis, alia *ulceribus*, alia *tumoribus* ludit.

2. Ratione SUBJECTI, est vel *Universalis*, vel *Particularis*. Illa est, quæ totum exercet corpus, magis nempe & penitus infectâ massâ sanguineâ, & non uno solo loco affecto, sed pluribus, pluribus etiam stipata satellitibus & symptomatibus. Hæc, quæ unâ vel alterâ parte solùm circumscripta est, arctioribusque inclusa terminis, v. gr. in membro virili, pudendis, manibus, cute externâ, ore, aliisque, adeoque nec serpit æquè ulterius.

3. Ratione MORIS, alia *mitior* est, alia *gravior* & ferocior, omnibus corporis partibus insidias struens.

4. Ratione CAUSARUM & modi contagii, alia est *hæreditaria*, quæ cum humore genitali in fœtum derivatur, seu saltim connata; alia *acquisita*, quæ vel per concubitum, osculum, lac, sudores aliaq; supra enarrata contrahitur.

Cùm verò fermenti peregrini copia vel paucitas non parum faciat ad hunc morbum, hinc 5. ratione MOTûs alia celerius invadit, alia tardius, quatenus nempe nonnunquam citius massa sanguinea in materiam fermentativam pervertitur, ut ad incrementum perveniat, & ad turgescentiæ plenitudinem aptetur.

6. Ratione ACCIDENTIUM, alia *solitaria* est, quæ solùm per symptomata sibi ipsi symbolica & propria, v.gr. cachexiam, pilorum defluvium in mento, capite, superciliis, pudendis, atrophiam veneream, aurium tinnitus, aliaque suam agit tragœdiam; alia *comitata*, quæ alios morbos & symptomata, v. gr. dysenteriam, diarrhœam, pestem, calculum, febres, suffocationem hystericam, affectionem hypochondriacam, & id genus alia, habet comites.

7. Ra-

7. Ratione TEMPORIS, alia *recens* eſt, alia *inveterata*; alia in *principio*, alia in *augmento*, alia in *ſtatu*, alia in *declinatione*.

CAPUT VI.
De Signis Diagnoſticis & Prognoſticis.

Cùm non rarò Medico conſultandum & curandum, imò renunciandum, an æger laboret hoc morbo, qui tamen communiter id negat, & Jovem nonnunquam jurat lapidem, ſignis hinc opus eſt, quæ hoſpitem hunc ignotum manifeſtant.

Imminentem atque Incipientem ſignificant I. ESSENTIALITER INHÆRENTIA, præfigurata nobis ſuperius ſeu ulcera, ſeu dolores, ſeu tumores, ultra ſphæram ordinariam & citra cauſam manifeſtam aliam ſeſe exerentia, uno verbo maligna.

Exerunt ſe hæc præcipuè in genitalibus; unde ardor urinæ, pudendi caries, ulcera & criſtæ glandis, ferè prima eſſe conſueverunt occupantis ſedes morbi ſigna. Augeſcentem gonorrhœa virulenta, dicta meritò à more & colore, quòd ſimplici non reſpondeat, licet & hæc differat, comitatur. Tumor inguinum, tonſillarum, parotidum, & glandularum ſub mento, aliarumque, teſtium item ipſorum, dolores capitis & tibiarum noctu repetentes, quod diximus, tubercula verrucoſa circa genitalia, abdomen, inguina, maximè etiam in fronte & facie, imò capite toto, pectore & corpore reliquo, minora vel majora oriuntur. Puſtulas latas & elevatas in ambitu, rubras & cruſtaceas admodum defœdatas alii vocant, quale exemplum refert *Platerus obſ. l. 3. p. 728*. Verrucas non ſolùm circa membrum virile, anum, pudenda, nates, ſed & femora exortas, quarum nonnullæ avellanæ magnitudinem æquant, imò ſuperant, memorat *Schenck. obſ. Med. l. 6. p. 403*.

Inveteratam magis ſingula hæc graviora & alia ſtipant. Venas per univerſum corpus pituitoſâ albâ materiâ, ipſum ſanguinẽ quantitate ſuperante, plenas obſervavit *Nicol. Maſſ. de lue ven.* Solidæ partes, oſſa, vincula, nervi hâc lue affecta cernuntur. Circa regionem oſſibus proximam, ut in tibiarum maximè anteriore nudæ ſedis longitudi-

ne,

ne, & juxta ſcapulas, homoplatam & cubitum dolores excitantur, in ſterni item anteriore oſſeâ ſede, de quibus vid. *Theoph. Bonet. Anatom. Pract. l.* 2. *sect.* 4. *obſ.* 44.

Nonnunquam tota vulva eroſa, penis carioſus multis foraminibus, glandem ambientibus, ſcrotum exulceratum, præputium glandis ablatum reperitur, teſte *Schenck. l. c. p* 903. Aliquando pars poſtica calvariæ exeſa, aliquando dura & concreta cruſta adhæret cranio, in quo caries etiam aliquando obſervatur, cui utraque membrana tenaciſſimè infixa eſt, quæ nervos facilè ita relaxare poteſt, ut paralyſin producat, aliquando ſupra ſuturas intra pericranium & cranium caries oritur, annotante *Bonet. l. c.* imò nonnunquam inter duas cranii tabulas humor colligitur, in eo exoſtoſin quandam producens. Tria quoque candida gummata membranæ duræ inhærentia, piâ illæsâ, annotavit idem *Bonet. l. c.* Sic ſupra duram matrem curculio aliquando deprehenſus fuit, teſte *Foreſto Schol. obſ.* 2. *l.* 9.

Viſcera etiam plura, graviori caſu, tum phymatis, tum abceſſibus, tum ulceribus reperiuntur fœda, non aliter, quàm extimo corporis habitu papulæ, tubercula, gummata. Sic vitioſum humorem exſudantem & exeuntem ex oſculis venarum cerebri obſervavit in iis, qui hâc lue periêre, *Trajanus Petronius.* Sic Parotis ſub aure ſiniſtrâ maxima nonnunquam oritur, quæ totam occupat genam, ſummamque puris copiam & forinſecus & intrinſecus effundit, qualem obſervationem vid. apud *Bonet. l.* 3. *sect.* 7. *obſ.* 5. *Anat. Pract.*

Nonnunquam fauces, palatum, lingua nigris fœtidisque erumpentibus puſtulis turpiter exesa reperiuntur, teſte *Mich. Joh. Paſchalio tr. de M.* G. Sic nonnunquam naribus, polypo & malè olente ozænâ exeſis, palatoque deſtillationum acrimoniâ exulcerato, potum per nares regerunt, faciemque Satyris deformibus ſimillimam referunt. Vid. *Lang Epiſt. Med. l.* 1. *ep.* 42.

Nonnunquam puſtulæ in facie adeò pernicioſæ ſunt, ut deſinant in herpetem, naſumq; conſumant, imò vidit *Platerus* in exterioribus naſi ulcuſculum enatum, quod adeò invaluit, ut totum tandem naſum illiusque interſtitium, interiores & exteriores cartilagines depaſceret, relictâ foveâ ampliſſimâ, in mediâ facie, cui pugnus inſeri poterat, & per quam omnia interiora ſpectabantur, *obſ. Med. l.* 3. *p.* 730.

730. Mulieres quoque, corpore quæstum facientes, naso mutilatæ reperiuntur quandoque, *vid. ibid. p. 731.* Nec desunt *Anthraces*, & in barbâ & capite sycoses, theriomata, ulcera phagedænica, telephia & chironia, teste *Langio l. c.* item gingivarum putrilago, faucium ardor, dentium vacillatio, oculorum excœcationes.

Aliquando ulcera faucium, palatum, uvulam & tonsillas depascentia, spectantur. Nonnunquam thymus instar spongiæ ab excrementitiis corruptis humoribus intumescit, unde illi ægri sonorâ non sunt voce, ægrè cibum potumque deglutiunt, sæpe per foramina nasi in nares ea excernunt, ægrè spirant insuper, compresso à tumore œsophago, renitente cartilaginosâ asperâ arteriâ, vid. *Sim. Pauli Digress. de Febb. mal. §. 17.*

Nonnunquam œsophagus exulceratus, pulmones, trachea, teste *Jouberto l. de variol. magnâ c. 4.* diaphragma, tota pustulosa reperiuntur. Stomachus quoque manus cavæ instar pustulam habet nonnunquam, & in superincumbente cavo hepatis, similem aliam pustulam, ut una alteram comprimeret, uti ex *Schedis Gesneri* annotavit *Schenckius l. 6. de lue ven.*

Jecur itidem pustulosum atque ulcerosum observavit *Capivaccius Pract. l. 3. cap. 23.* Ossa tandem pectoris & juguli, & aliquot costarum, aliaque pure referta, sinuosa, sub membranis suis tumentia, & ad medullam usque suppurata, cariosa reperiuntur, teste *Bonet. l. c.* Imò in ossibus tibiarum tumores & nodos protuberantes durosque vidit *Platerus l. 3. obs. Med. p. 726.* aliaque innumera ferè hunc morbum comitantia.

Infantum verò sic affectorum signa sunt inter alia verrucosa tubercula, circa anum inprimis sese exserentia, quod *D. Præses* in non paucis observavit, faucium tumores, aliaque.

2. ESSENTIALITER CONSEQVENTIA sunt varia comitantia symptomata specialia ex his fluentia, & quidem inter *actiones læsas animales* notatur gravitas in capite, in collo, in humeris atque omnibus articulis perpetuus cruciatus, tremor, langvor, lassitudo, timor, mœstitia. Alios exercent convulsiones, epilepsia, paralysis, apoplexia, vertigo, ophthalmia, cœcitas, oculorum casus, surditas, tinnitus aurium, sibilus & sonitus, ozæna, catarrhi, summi dolores capitis, colici, renum, inprimis articulorum

 omnium,

omnium, ad somnum quidem summa propensio, ejus tamen frequens ab humoribus peregrinis interruptio, raucedo molesta, priapismus, satyriasis, aliaque huc spectantia.

Ex *vitalium* classe visuntur syncope, palpitatio cordis, respiratio difficilis, febris hectica, asthma, peripneumonia, phthisis, tussis, empyema, pulsus irregularis, langvidus, parvus, debilis.

Inter actiones læsas *Naturales* varia sese offerunt, nausea hos affligit, deglutitio impeditur, vomitus urgent, appetitus dejectus reperitur, item chylificatio læsa, cachexia in toto corpore notatur, hydrope corpus intumescit, atrophiâ contabescit, intestina doloribus affecta varios excernunt humores, stranguria adest molestissima, mictio cruenta & purulenta, sæpe etiam, ob carunculam in urethrâ enatam, impedita visitur.

In *Excretis* urinæ, cum aculeato dolore, aliquando purulentæ atque cruentæ, aliquando tenues, flavæ, pellucidæ, contentis sabulosis, nec non arenulis & frustulis inæqualibus & scabris refertæ, observantur redditæ. Sic maculæ ac pustulæ in cute erumpentes saniosam fundunt materiam; semen instar saniei exiens gonorrhœam producit. Lac quoque aliquando non justam habet consistentiam, sudor fœtidus, flavescens, salsus, deprehenditur.

In *qualitatibus mutatis* oculi livorem contrahunt, faciei color pallidior & obscurior, lingvæ nigricans, dentes erosi, ungves deformes, os, nares, alæ, ingvina, pedes, imò totum corpus exhalant mephitim, membra, inprimis genitalia, extenuantur macie &c.

Omnia tamen hæc variant pro diversitate graduum morbi, & subjectorum. Alii magis tumores, alii ulcera magis exhibent, alii doloribus torquentur magis. Quò pauciora & magis particularia adsunt symptomata, eò minori gradu morbus consistit; quò plura & universalia, eò majori gaudet, præcipuè si ossa ipsa cariem, spinam ventosam, exesionem, νέκρωσιν patiantur, quod in tenerioribus nasi & Ethmoideis inprimis visitur.

3. Ex fonte CAUSARUM huc pertinent prægressa varia, error nimirum in rebus nonnaturalibus commissus, & inprimis concubitus, qui cum scorto, vel alia infectâ celebratur, impurus & vagus, basia ejusmodi contaminatis data, suctio lactis per mammas infecti, exceptio sudoris & contagiosæ transpirationis, verbo, con-

ver-

verſatio intimiorque familiaritas cum infectis aliaque jam ſupra recenſita.

Quin & 4. ANALOGISMUS his ſuffragatur, comparato ægro ad ſimiles: nemo enim non Practicorum, his prægresſis cauſis, tali modo conſtitutos Siphylide laborare, affirmabit.

Signa SUBIECTI per ſe patent; CAUSARUM ex relatione, licet magis contagium accuſent ægri aliud quodvis, quàm propriâ venereâ culpâ acquiſitum, id quod tamen ex locis affectis patet quoque.

Ad PROGNOSIN SALUTIS ET MORTIS non parum facit conſideratio, num altas jam egerit radices, ut tota maſſa ſanguinea affecta ſit, ægerque ingenti ſymptomatum divexetur catervâ, an conſtantibus ſit viribus, ὀρθοςάδιος, ſine febri exiſtat, munere ſuo fungi poſſit, an habeat pulſum immutatum quaſi, appetitum conſtantem, & quoad reliqua videatur ſaniſſimus, an hæreditario modo hanc labem ſuſceperit, ex quibus omnibus majus vel minus periculum judicari poteſt. Ut plurimum non tam necat lues venerea, quàm cruciat ægros. Quod ſi tamen ultimi gradûs ſit, & non tantùm humores & ſpiritus, ſed & ipſa oſſa & partes ſolidas alias pervadat, incurabilis eſſe, & ſi non cauſari mortem, *συναποθνήσκειν* tamen conſuevit. Contra ea ſi primo ſaltim gradu conſiſtat, nec intimius vitalia infecerit, levi quaſi brachio tolli poteſt, ſi maturè feratur auxilium, leviſſimis ſumptibus, quo neglecto vel malè curato indies vires ſumit, & ægrum malè tractat. Exemplum tale videri poteſt apud *Heer. obſ.22.p.264.*

Ex his quoque LONGITUDINIS & BREVITATIS ſigna deſumenda ſunt. Licet enim morbus hic ſit chronicus, quod ex antecedentibus patet, & non tantùm per menſes, ſed & multos annos nonnunquam duret, recens tamen, quæ tantùm in bubonibus, gonorrhœâ, capillorum defluvio, lichenibus conſiſtit, nonnunquam in primâ herbâ quaſi, adhibitis ritè remediis, ſuffocatur, adeoque facilius tollitur inveteratâ. Ea enim oſſium carie & partium cartilaginearum exeſione variisq; in cruribus & brachiis gummatibus ſe prodit, & operam medici difficillimè admittit. Sic eos, qui ſemel ſanati iterum hâc lue corripiuntur, medicorum operam ferè eludere, ex *Ferdinando* annotavit *Sennertus l. c. p. 153.*

Sic Lues, quæ hæreditario modo irrepsit in corpus, sero & sanguini diuturnâ morâ firmiter suas infigit radices, quas eradicare atque evellere haud facilè est, quin & serum à viscositate suâ liberare, & massam sanguineam sui juris reddere, ægroque tantis symptomatibus dejecto pristinas restituere vires, hoc opus, hic labor est.

In fœminis luis venereæ, quam brevi post invasionem mensium excipit fluxus, nec non in viris & juvenibus, quorum viæ excretoriæ apertæ sunt, promtior & felicior, quàm in senibus hâc lue correptis, ob exhaustum jam calorem, & gulosis, bibulis, licentiosè viventibus, errores diætæ facilè admittentibus minusque dicto medici audientibus, succedit curatio.

MODUS EVENTUS variat. Etsi enim Lues venerea pro incurabili morbo, adeoque lethali non habeatur, teste *B. Rolfinc. Ord. & Meth. Comment. l.6. sect. 3. c. 5. p. 597.* incurabilis tamen fit ex accidente, errore ægrorum, generosa præsidia non admittentium. Hinc variis formis, v. g. dysenteriâ, epilepsiâ, apoplexiâ, paralysi, podagrâ, scorbuto, febri hecticâ, asthmate, hæmoptysi, phthisi, hydrope, impetigine, vigiliis perpetuis aliisque sese induit, ceu belua multorum capitum, quibus homines sæpissimè in ruinam præcipitat.

Exigua quoque spes salutis superesse videtur ægro, cui ossa erosa, exesa, comminuta, quod de osse ethmoideo cumprimis asseruimus, variisq; gummatibus tentata conspiciuntur; cui pulmo, œsophagus, trachea, hepar, ventriculus, renes, vesica, intestina, uterus, ulceribus, pustulis, carcinomate, fistulis consumuntur. Major contra illis accrescit spes salutis, quorum viæ excretoriæ liberæ sunt, materiamque saniosam, virulentam, vel per menses, vel per urinam, vel per salivam, vel per feces, vel per fluxum hæmorrhoidalem, vel per sudorem, vel per bubones excernunt.

CAPUT VII.

De Curatione in genere, & ex fonte Chirurgico.

Perspectâ jam morbi naturâ cum suis causis & signis, restat adhuc

huc, ut ex methodi medendi legibus CURATIONEM aggrediamur, quæ à tribus pendet indicationibus, curatoriâ nempe, præservatoriâ & vitali.

CURATORIA tota erit in eo, ut peregrinus hospes ejiciatur, serum à glutinositate liberetur, sanguinis tonus restituatur, humores serosi peccantes per loca convenientia eliminentur, & viscera debilitata iterum confortentur.

PRÆSERVATORIA omnes causas, quibus hæc lues in corpus nostrum sese insinuare, vel insinuata subsistere, humanæque œconomiæ statum pervertere potest, removet.

VITALIS virium restaurationem appropriatis mediis, nec non symptomatum graviorum urgentium correctionem meditatur.

Indicationibus his ex triplici fonte abundè satisfieri potest. Et quidem ex CHIRURGICO primum locum deferimus VENÆSECTIONI, nobili illi & heroico remedio. Quamvis enim hæc sola apta nata non sit, ut penitus morbosum hoc robur frangere & extirpare possit; nihilominus tamen locum habet tum in se, tum respectu præsidiorum aliorum & symptomatum specialium. In se quidem, quatenus non solùm quantitatem, si eâ excedat sanguis, deplet, sed & qualitatem, intemperiem, spissitudinem corrigit, & inprimis in motum citat lentum serum spissescensque, ut ventilatio redintegretur debita, fluxilior sanguis redditus non subsistat, nec malè partes habeat. Symptomata verò specialia eam indicantia sunt dolores capitis, artuum, ardores, aliaque; inprimis etiam remedia ex fonte pharmaceutico petita felicius adhibentur, si universalia ejusmodi præmittantur auxilia. Exemplo sit vel sola salivatio ☿lis, quam citra præmissa purgantia & Venæsectionem adhibere religio debet esse. Institui potest in brachio, ℥iij. IV. V. educendo, ut pars sanguinis viscosioris auferatur, eâq; ablatâ, serum viscidius & restagnans in motum citetur quodammodo, ipsique per medicamenta debita novus character eò melius inprimi possit. Quod si vires per morbi novi accessum adeò videantur prostratæ, ut venæsectionem non ferant, cucurbitulæ cum vel sine scarificatione consuetis in locis, vel hirudines, inprimis, si pustulæ sanguinolentæ adsunt, substitui possunt.

Sic & FRICTIONES, inprimis cum linteaminibus calidis, poros

aperiendo exhalationi humorum, miaſma venereum foventium, vias pandunt, nec non particulas ſanguinis ſulphureas torpentes in motum citant.

FONTICULI, & CAUTERIA actualia etiam hîc locum inveniunt. Exemplum cujusdam lue venereâ infecti ex Vido Vidio juniori annotavit *Schenck. obſ. Med. p. 898.* cujus calvaria jam putrefacta ſolâ uſtione cum ferro candente feliciſſimè curata fuit. Nam & hoc caſu ignis ſemina morbifica optimè deſtruit.

VESICATORIA quoque paſſim proſtantia, v. g. *Zwelfer. Rolfinc. D. Præſid.* aliorumque, ex *canthariд. emplaſtr. diaph. ol. ſinap. laur. vel caſtor.* inprimis ſi exoſtoſes apparent, inſignis ſunt utilitatis. Ita enim ſerum ichoreſcens & miaſma venereum torpidum extrahitur, quale exemplum vid. apud *Laz. River. cent. 4. obſ. 22. & 29.*

Singula quidem hæc ſunt inſufficientia debellando hoſti, conferunt tamen ſymbolum ſuum, & reliquis obſtetricantur majorum quæ ſunt virtutum.

Chirurgiam Infuſoriam in hoc morbo duabus vicibus feliciter inſtitutam refert *Bonet. Anat. Pract. l. 3 ſect. 10. obſ. 6.* & *Excell. Ettmüller. Tr. de Chir. Infuſ. c. 1. §. 5.* exemplum militis recenſet ab Elsholzio perſuaſi, cui in noſocomio publico Dantiſcano, lue venereâ inveteratâ cum ulceribus in tibiis, tumore brachii dextri, doloribus capitis horrendis, cum gummatibus ſeu nodis in oſſibus laboranti, *reſin. ſcammon.* gr. vij. diſſolutæ in *eſſ. lign. guajac.* ad ℥iij. infuſa fuêre, unde inſequente vomitu ſubitanea omnium ſymptomatum 24 horarum ſpatio remiſſio, & poſt triduum ulcerum coalitio ſecuta fuit.

De Transfuſoriâ Chirurgiâ, cujus ope nonnulli ejus patroni luem veneream curare audent, quid in hoc caſu ſtatuendum ſit, legi poteſt *Merclin. Tr. de ort. & occaſ. Transfuſ. ſangv. cap. 3. p. 34. ſeqv.*

CAPUT VIII.
De Curatione ex fonte Pharmaceutico.

AD fontem jam provehimur PHARMACEUTICUM, qui medicamenta huic morbo maximè offert appropriata, & specifica, idque non uno, sed diversis loculis, tantò magis à nobis lustrandis, quò felicius tum in genere morbo opposita largiuntur præsidia, & seorsim his illis insignioribus symptomatibus.

LENIENTIA, primas vias ab infarctu humorum pituitosorum, viscosorum, seri coagulati & fixati, liberant, blandè abstergunt, & materiam ad inferiora divertunt, cumprimis utilia, ubi alvus fuerit segnior, ad eamque divertenda materia, non neglectâ viscerum culpâ; ex *MP.* ♀ *ear. extr. al. ros. viol.* ♁*li, rbab. belleb. s. &* ♂*l.* R̄. ♂ *laxat. essent. lignor. laxat.* ☿ *dulci*, unde *Quercetanus* pilulas suas polychrestas effecit. Tacemus infusa & decocta lenientia accessione *ligni sassafras, summit. fumar. epithym.* aliisque roboranda.

℞. *MP.* ♀ *ear. extr. aloës* ā. ℈ß. ☿ *dulc.* gr. v.
trochisc. alhand. gr. iij. *essent. succin.* q. s.
M. F. l. a. Pil. S. Lind-Pillen.

℞. *MP. de aloë violat.* ℈ß. *extr. rhabarb.* gr. vj.
essent. lignor. q. s. M. F. l. a. Pilul. S. u. s.

℞. *rad. scorz. cichor. sarsæp.* ā. ʒij. *ras. lign. sassafr.* ʒj.
summit. fumar. agrim. ā. mß. *fl. 4. cord.* ā. pj.
senn. Alex. s. s. ℥ß. *rhabarb. Alex.* ʒij.
schoenanth. ʒß. *passul. minor.* ℥j. *cryst.* ♀. ʒiß.
Coque in s. q. ▽ *simpl.* Colat. ℞. ℥iij. adde
sir. de cich. c. rhab. ℥ß. M. F. l. a. Pot. S. Lind-Träncklein auf einmahl.

PRÆPARANTIA seu Digestiva, quæ lymphæ, seri, aliorumque humorum vitiosorum coagulum præparant, eos ad excretionem aptant & disponunt, non distincta erunt ab ipsis alterantibus, nisi quod à speciali hoc fine, quem intendunt, diverso locentur ut tempore, ita & spatio. Faciunt nempe huc R̄*a* ♂*les variæ, cydon. c. arc.* ♀*ri, cum* ∾ *lignor. essent. fumar. comp. lign. comp.* ℥*ii, s. &* ♂*lis, M. S. antisc. antivenerea,* R̄*a corall. c.* ∾ *lign.* ♀ ⊕*l. cryst.* ♀ ♂*l.* & alia.

℞. *rad. ari tinct. ppt. hepat. rubr. Dr.* ā. ʒj. ℴℴ *mac.* gtt. j.
M. S. digestiv-Pulver auf etliche mahl.

℞. *M. S.*

℞. *M. S. essent. lign. comp.* ā. ʒj. M. D. in vitr.
S. Blutreinigende Mixtur.

℞. *mixt. antiscorb. essent. fumar.* R*æ* ♀*i* ā. ʒj.
M. S. ut ante.

℞. *essent. fumar. lign. sassafr.* ā. ʒj. M. in vitro.
S. ut supra.

PURGANTIA in hoc affectu maximè necessaria, cùm non solùm humoribus serosis stimulum addant, sed & ipsi coagulo fermentativum motum inducant, id ipsum disjiciant, & segregatam partem noxiam è corpore eliminent. Præstant vero id tum phlegmagoga inprimis dicta, tum alia ex *mechoac. gialap. agar. colocynthide, scammon.* & ex his præparata, ut *extr.* & *tr. agar. extr. rhab. cathol. Andern. panchym. Croll. cerb. tric. resin. scammon.* & laudatissimus ☿ *dulcis*, seu in pilulis reliquis additus, seu in bolo, vel pulvere quoque ipso, ut & *turpethum minerale flavum.* Commodissima etiam hunc in finem sunt infusa, purgantibus cum dirigentibus quasi magis maritatis. Clysteribus ipsis etiam suus locus est, alvum humectantibus, laxantibus & obstructiones reserantibus, ex emollientibus, aperientibus, aliisque paratis.

℞. *MP. de fumar. resin. gialap.* ā. ℈ß. ☿ *dulc.* ☽*ar.* gr. vj.
essent. lign. q. s. M. F. l. a. Pilul. S. Purgier-Pillen auf einmahl.

℞. *MP. de succin. Craton. de fumar.* ā. gr. viij.
resin. scammon. ℈ß. ☿ *dulc.* gr. vj. *essent.* ♄*ii* q. s.
M. F. l. a. Pil. S. ut supr.

℞. *pulv. laxat. vegetab.* ℈j. *resin. scammon.* gr. vj.
cryst. ♀. gr. viij. ♄ *diaph.* gr. iv. ☍ *ani.* gtt. j.
M. F. Pulvis, S. Purgier-Pulver auf einmahl.

℞. *conserv. fumar.* ʒj. *pulv. purg. Cornach.* gr. v.
☿ *dulc.* gr. vij. *extr. lign. gvajac.* gr. ij. *facch.* q. s.
M. F. l. a. Bolus. S. Purgier-Bissen auf einmahl.

℞. *rad. polypod. sarsæpar. scorz.* ā. ℥ij.
herb. fumar. hepat. nobil. fl. scabios. ā. mß.
cort. tamarisc. lign. sassafr. gvajac. ā. ʒj.
senn. Alex. ℥ß. *agar. trochisc.* ℈ij. coqv. in s. q. ▽. *s.*
Colat. ℞. ℥vj. adde *extr. fumar. rhab.* a. ℈j.

sir.

ſir. de cichor. c. rhabarb. ℥ß. M. F. l. a. Potio, S. Purgier-Tranck auf einmahl.

Cùm verò nonnunquam pituita craſſa, viſcoſa ventriculo adhæreat, ♃ialibus, ⊕licis aliisque optimè etiam ἄνω exturbari poterit, quale exemplum habet *Riverius cent. 1. obſ. 77.* propinato hoc fine ☿ *vitæ*, ♀ *emet. mannâ vomitoriorum*, & aliis.

℞. ♀ *emetic.* gr. iij. *gialap. ppt.* gr. vj.
 ⚇ *macis* gtt. j. M. S. Brech-Pulver.

℞. ☿ *vit.* gr. iij. *conſerv. roſar.* ʒj.
 ſacch. q. ſ. M. F. Bolus, S. Brech-Zucker.

℞. *extr. panchymag. Croll.* gr. viij. ♀ *emet.* gr. ij.
 ⚇ *aniſ.* gtt. j. M. F. l. a. Pil. S. Brech-Pillen.

Cùm autem per primam corporis regionem totum hoc malum eliminari non poſſit, cùm tam altas agat radices, ut ſecundas tertiasque regiones occupet, quibus multum faceſſit negotii, hinc per easdem etiam expelli debet, id quod DIAPHORETICORUM & DIURETICORUM ope præſtatur unicè, utpote ſtupendæ efficaciæ, quæ vim habent ſanguinem ab effluviis venenatis venereis non ſolùm depurandi, ſed etiam fermentum illud venenatum, ſolidis vel liquidis noſtris partibus odoris inſtar affixum, potenter extirpandi & penitus eradicandi, dicente *Frid. Hoffmann. Meth. Med. l. 1. c. 11. p. 164.* Sudorifera enim acrimoniam ſalinam, corroſivam, erodentem obtundunt & domant, viſciditatem ſeri corrigunt, id fluxile ſtatuiq; naturali ſimile reddunt, &, quod præcipuum eſt, *μίασμα* peregrinum venereũ, undecunque inductum & inſidiosè latici conſermentandum, efficaciter excludunt. Cavendum tamen, ne nimiis inſiſtamus ſudationibus, utpote quæ ſerum magis exacerbant, in continuos halitus reſolvunt, efferatum id reddunt, febresque tandem producunt, quo de vid. *Tilemann. in Aphor. Hippocr. p. 167.*

Proſunt hæc ipſa, tum univerſali fine, quo nomine & ſpecificorum, ſeu cauſæ morbificæ inprimis debitorum, titulum merentur, tum particulari, ſive ulcera defœdent partes has illas, ſive dolores exacerbentur magis, ſive aliis modis *ςάσις* humorum diſpellenda fuerit. Faciunt huc ♄ *diaph. bez. min.* ♂*le*, ⊙*re*, ☿ *diaphoreticus, mag.* & ⊖ *ſpin. viper.* ~ *lign. ſ.* & *comp.* ♀ *ſ.* & *duplic. M. S.* R̄. *bez. Cinnab*

℥ii, & *nativa, crystallina*, ♎*mata*, ♁ *auratum diaphoreticum* s. ♂*le*, ☉*re*, ♀*eum*, *turpethum minerale album*, decenter propinatum, & alia, additis pro re natâ opiatis. Tacemus *decoctum lignorum*, de quo mox seorsim agemus. Exempla ex DIAPHORETICORUM classe sunt sequentia:

℞. ℞*æ bezoard. D. D. Præs. essent. lign.* a. ʒj. *anodyn.* gtt. viij.
M. S. Schwitz-Tinctur.

℞. ℞*æ bezoard.* ʒj. *M. S.* ♎. *lign.* ā. ʒß. M. S. ut supra.

℞. ♎ *ebor. viperar.* ā. ℈ij. *essent. succ.* ℈j. M. S. Schwitz-Mixtur.

℞. ♁ *diaph. CC. philos. ppt.* ā. ℈ß. ⊖ *succin. vol. fixat.* gr. viij.
M. S. Schwitz-Pulver.

℞. ⊖ *viperar.* gr. vj. *bez.* ♃*ial.* ℈ß. M. S. Schwitz-Pulv. auf einmahl.

℞. *roob ebul. sambuc.* ā. ʒß. *bez.* ♂*lis*, *animal.* ā. gr. xv.
sacch. q. s. M. F. l. a. Bolus, S. Schwitz-Zucker auf einmahl.

℞. ▽ *fumar. sambuc. bezoard.* ā. ℥j. ♎ ♀, *lign, guajac.* ā ʒß.
sir. scorz. ℥ß. M. S. Schwitz-Tranck.

℞. *rad. cichor. scorzon. sarsæpar.* ā. ℥ß.
herb. fumar. scabios. agrimon. carduiben. cuscut. ā mß.
fl. hepatic. nobil. 4. cordial. summ. fumar. ā. pij.
lign. sanct. ℥ij. *sassafr.* ℥j. *cort. tamarisc. cappar.* ā. ʒiij.
cinam. schœnanth. a. ʒj. concis. contus. coque in s. q. ▽. *simpl.*
colat. ℞. ℔ij. adde *sir. fumar. diaser. Andern.* ā. ℥iß. D. in fictil. S.
Schwitz-Tranck.

Huc quoque referri potest *Decoctum Diaphoreticum Rolfinc. in ord. & meth. comm. p. 570. descript.* aliaque simplicia, ex autoribus, qui de re medicâ scripsêre, petenda. Vid. quoque *Hartmann. Prax. Chymiatr. p. m. 338. seqq.*

DIURETICA hinc, cùm salino suo principio seri coagulum fundant, liquent, dissolvant, præcipitent, unaque abstersione blandâ & seminalem ichorem alterent, & vias urinarias demulceant, meritò hunc censum quoque subeunt, inprimis ad ulcera & ardorem genitalium tollenda, si gonorrhœa fœda corpus fatiget, si lumbi doleant, si urina restitet, si carunculæ negotium facessant. Prosunt hoc fine tum diluentia, ut *emulsiones sem. 4 fr. maj. min. papav. alkek.* tum temperantia & præcipitantia *oc. 69 ppt. magist. oc 69. decoct. ess & extr. agrimon.* tum inprimis abstergentia & roborantia sulphureo resinoso principio fœta. Talia sunt terebinthinata, *terebinth. cypr. lot. & in colostrum, in pilulas, in*

°°, & ♎ *redacta*; ſuccinata, ut *ſuccin. ppt. eſſ. ſuccin.* tum ſola, tum cum R̄â *bez* & *anod.* remixta, eo caſu probatiſſima. Tacemus *ſem. viticis, ſacch.* ♄, ♎ *terebinth.* ♄ *niſat.* ☿ *dulcem* cum dictis variis maritandum, & alia.

℞. *terebinth. cypr. c.* ▽ *nymph. lot.* & *ad durit. cocta* ʒj.
magiſt. oc. 69. ℈j. *ſuccin. ppt.* ʒß. *reſin. gvajac.* gr. xv.
M. F. Pulvis S. Nieren-Pulver.

℞. *MP. de terebinth.* ʒj. ☿. *dulc.* ʒß. *extr. agrim.* ℈j.
ſir. de roſ. ſicc. q. ſ. M. F. l. a. Pilul. S. Nieren-Pillen.

℞. *eſſent.* ♁ ♀ *ſat.* ʒij. °° *lign. ſanct.* gtt. IV.
M. S. reinigende Mixtur.

℞. *eſſent. traumat.* ʒij. ♎ *terebinth. c.* ♉. *fact.* ʒj.
R̄*æ anodyn.* ℈ß. M. S. heilende Tinctur.

℞. *ſem. 4. frig. major.* ā. ʒj. *papav. alb.* ℥ß.
▽ *agrimon.* ℥iij. *ſcabioſ. fumar.* ā. ℥ij. M. F. l. a. Emulſio.
Colat. adde *ſir. dialtb.* q. ſ. ad gr. ſap. D. in fictil.
S. Lind-Milch.

Quod ALTERANTIA attinet, meritò & hîc diviſionem receptam in generalia & ſpecifica retinemus, quorum illa, hoc quidem in affectu, comitatis vel ſotis ſimul ſymptomatibus aliis proſunt, hæc non tam illis, quàm affectui principali, & per ſe, & cum aliis combinato. Uti enim certum eſt, non minùs ex hoc affectu, quàm ex ullo alio, tanquam ex equo Trojano, plurimos alios propullulare; Ita principalis mali curam potiſſimum luſtrabimus, combinandis facilè ex propriis loculis appropriatis aliis. Ea nempe partim morbi acrimoniam, indeque propullulantium ſymptomatum catervam, partim deſtructum viſcerum tonum reſpiciunt, vitaleque ſanguinis balſamum deperditum, ſingula quidem ſuo modulo, iterum reſtaurant.

Curationem ergò mali hujus radicalem, ſine dubio in exterminio fermenti peregrini, & correctione laticis conſiſtentem, variis modis tentarunt medici. Quidam juxta *Celſi* illud: quiete & abſtinentiâ multi magni morbi curantur, diætâ ſolùm vel præcipuè id facere ſuſtinent, exquiſitâ, tenuiſſimâ, in pane biscocto, paſſulis, aquâ vel tenuiori potu conſiſtente, id quod non de nihilo eſt, ſiquidem jam dudum attenuans victus *Hippocrati, Galeno* aliisq; inter præcipua ſcroſorum morborum remedia relatus eſt. Sola tamen vix ſufficit,

 unde

unde exempla novit *D. D. Præs.* per plures hebdomades ita macceratos, ne ulcerum quidem residuorum consolidationem impetrasse.

Multi nominis est *decoctum lignorum*, & his affinium aliorum vegetabilium, ex *cort.* & *lign. sanct. sassafras, rad. chin. sarsaparill.* quò & *saponariam* & *cymbalariam* alii referunt, teste *Lud. Septalio in animad. caut. 215. p. m. 287.* qualia exempla hinc inde apud Practicos, præter jam citata, reperire licet. Vid. *Hartm. Prax. Chymiat. p. m. 339. seqv. Hildan. Junckerus* & alii.

Quicquid verò præstant hæc, sine dubio debetur partim diluenti aqueo, partim incidenti salino balsamico principio, utrisq; his sero viscidiori correcto, expulso fermentifico contagio, & prohibitâ ichorescentiâ salinâ. Duplex parari solet decoctum, primarium, pro sudatorio potu, & secundarium pro potu ordinario, ad diætam tenuantem quod spectat; utrisque ad aliquod tempus, non tamen ultra εὐφορίαν, continuandis.

Quod si gravior mali radix sit, nec decoctis sudoriferis, aliisque propositis medicamentis, diætâque strictissimâ evelli possit, ad inunctionem aquæ vivæ & non madefacientis manus, ex aquâ metallicâ acidâ, terrâque sulphureâ & salinâ, in terræ visceribus genitæ, tanquam sacram anchoram, confugiendum. Morbis enim giganteis ut heroica debentur remedia, quale est ☿ius, & luis venereæ & aliorum rebellium ῥιζοτόμος, ita huic siphylidi κατ' ἐξοχὴν & quoad totum affectum, & quoad omnia quasi symptomata, dolores, tumores glandularum &c. non immeritò debetur. Vid. *Excell. D. D. Præsid. Tr. de M. F. l. 2. sect. 2. c. 12. Rolfinc. O. & Meth. comm. l. 6. sect. 3. c. 1. p. 590. Schneid. l. 3. c. 11. p. 438. de catarrh. Tim. à* Güldenklee/ *l. 7. cas. 3. Sylv. Prax. App. Tr. 3. §. 323.*

☿ii quippe partes salinæ acetosæ, & sulphureæ volatiles, cum glandulis & sero per inunctionem communicatæ, à calore naturali subtilisantur, actuantur, evehuntur, in motum agitantur, unde serum quoque in motum majorem rapiunt, viscidum, tenax, concretum, pigrum, impactum dissolvunt, fluxile reddunt, & ad consuetum alias evacuationis locum, glandulas scilicet palati, faucium, propellunt, ut ibidem secernatur. Præstatur verò præmissis præmittendis, non tam Veterum more per suffimenta, quia

hoc pacto ☿ius in vaporem resolutus nervis magis inimicus evadit, teste *D. Præs. l. c.* quàm per unguenta varia, quibus ☿ius subigitur, ut corpori applicari possit. Sic enim ☿ius vivus v. g. pinguedine suillâ vel unguento pomato subactus corporique inunctus, ex Gallorum Chirurgorum methodo, per salivationes sæpius, rarius per diarrhœas torminosas, luem veneream curat, qualem effectum & plumbum simili usu in infantibus exhibet, ceditq; contumacissimum hoc malum huic ☿iali inunctioni, quod antea omnes decoctorum sudoriferorum & diætarum strictissimas neglexerat leges, dicente *Excell. D. Ettmüll. in procem. Chirurg. Infus.*

℞. *unguent. rosat. pomat.* ã. ℥iß.
☿ *viv. purific. & c. s. q. terebinth. extinct.* ℥j.
olei spic. gtt. vj, *lign. rhod.* gtt. iv. M. F. l. a. unguentum.
D. in pyx. S. Glieder-Sälblein.

℞. *unguent. pomat.* ℥ij. ☿ *viv. c. s. q. terebinth. extinct.* ℥j.
olei salv. lign. rhod. ã. gtt. iv. *bals. Peruv.* ℈ß.
M. F. unguentum S. u. s.

℞. *ungent. ☿l. Rolfinc.* ℥iij. D. ad fictil.

Huc quoque pertinent varia unguenta ☿ialia, v. g. *Sennert. Ferrarii*, *Neapolitanum*, *Augustanorum*, *Zwelf. Timæi*, aliorumque, licet *Cardanus* luem hanc non tàm ☿ialibus, sed solo litu hellebori curandam asserat.

His & similibus unguentis juncturæ brachiorum, pedum, verbo, articuli extremorum aliaque loca convenientia inungantur matutino tempore, vacuo ventriculo ad fornacem calidam, aëre ambiente calido, per dies duos vel tres continuos, vel alternos saltem, inunctionem continuando, moderandâ hinc eâdem pro salivationis modulo.

Interim dum ab hâc inunctione salivatio debita expectatur, propinari quoque possunt tum ☿ialia interna, matutino tempore, v. g. ☿*ius dulcis*, *☿ tatus albus*, *diaphoreticus*, *cinnab.* ☿*ii*, aliaque exinde parata, tum diaphoretica lenia vespertino, tum purificantia alia intermedio tempore. Ita enim ex methodo *Præsidis nostri* longè tutius & jucundius expectatus sequitur effectus.

Tacemus modos alios applicandi ☿ii, inprimis per Zonam seu cingulum, de quo *Rulandus* & *Höchstetterus* videndi. Hunc ipsum

 ptya-

ptyalismum artificialem collo circumdatum emplastrum de ranis, simplo vel duplo ☿ii currentis constans, longè facilius, quàm Zonam ☿lem promovere & accelerare testatur *Sim. Pauli de febr. mal. p.* 27. unaque subinnuit, hoc modo luem veneream intra sex hebdomades curari posse.

Symptomatibus verò, *v.* gr. dentium vacillationi, nigrori, uliginoso & fastidioso fœtori, virium ventriculique debilitati, gonorrhœæ, aliisque utplurimùm illam comitantibus, sudoriferis & universalibus jam supra dictis, ut & confortantibus aliisq; appropriatis succurrendum. Ut exempla quædam seligamus, sequentia ponemus, partim generalia, partim dictis symptomatibus dicata.

℞. *essent. lign. compos.* ℥j. ♁ii ♀isat. ʒß.
M. S. Blutreinigende Mixtur.

℞. R̄æ *corall. c.* ♒ *lign. parat.* ℥ij. D. in vitro.

℞. *specif. cephal.* ʒij. *magist. anodyn.* ℈ß. M. S. Haupt-Pulver.

℞. ♁ii ♂ial. *cachect. corall. rubr. ppt. matr. perl. ppt.* ā. ℈ß.
ZZ. *nativ.* gr. xij. *arcan. corall.* gr. vi. M. S.
Stärck-Pulver auf dreymahl.

℞. ♁. *diaph. lap.* 69. *croc.* ♂is *adstr. magist. oss. sep.* ā. ℈j
sem. agn. cast. ℈ij. *magist. anodyn.* ℈ß.
M. S. Stillendes Pulver.

℞. *succin. alb. ppt. bol. armen.* ∀ *sigill. corall. rubr. ppt.* ā. ℈j.
magist. sacch. ♄ni. gr. viij. *laud. opiat.* gr. ij.
M. S. ut supra.

℞. *MP. de fumar. extr. lign.* ā. ℈j. ☿ *dulc.* ʒß.
R̄æ ♁ii ♀sat. q. s. M. F. l. a. Pilul. S. Blutreinigende Pillen.

℞. *sem. 4. frigid. maj.* ā. ʒj. *cannab.* ℥ß. *papaver. alb.* ʒij. *lactuc.* ℈ij.
▽ *castitat. nymph. agrimon. plantag. lactuc.* ā. ℥ij.
F. l. a. Emulsio, adde *magist. oss. sep.* ʒj. *syr. de nymph.* q. s.
M. S. Kühlende Milch.

℞. *rad. chin. sarsæpar. helen. cich.* ā. ʒij. *herb. agrimon. hepat. nobil. heder.* ∀*estr. beton. veronic. lichen. portulac.* ā. mß.
summ. fumar. fl. acac. cichor. scabios. ā. pij.
cortic. lign. sanct. sassafr. ā ʒiij. *cost. arabic.* ℈j.
concis. contus. gr. mod. Dentur ad chartam,
S. Species ins Bier.

℞. *conserv. ros.* ⊕*lat. menth. fumar.* ā. ℥j.
nuc. mosch. in Ind. condit. Zingib. condit ā. ʒiß.
spec. diagalang ʒj. *diarhodon. Abb.* ʒij.
hep. rubr. ʒß. *sir. corall.* q. s. M. F. l. a. Electuarium,
S. Magen stärcken de Lattwerge.

His tandem subjungimus TOPICA externa nonnulla, quæ variis prospiciunt symptomatibus. Licet enim benè curato morbo, tanquam fonte, & scaturigines morbosæ simul cedant, speciatim tamen tumoribus, doloribus & ulceribus quædam exterius quoque prospiciunt, internorum actionem juvantia, & ipsa ab illis succenturianda.

Sic TUMORIBUS, v. g. bubonibus in inguine aliisque partibus glandulosis applicantur resolventia & discutientia, *ut empl. de melil. de ranis Vigonis cum* ☿, *diachyl. c. gumm. dia*♀ *Ruland. diaphor. Mynsicht. miraculosum*, aliaq; consimili virtute pollentia, quæ & in testium tumore locum habent. In penis & glandis dolore, experimento *Heerii*, herba cicutæ contrita & applicata insignis usus est.

ULCERIBUS & erosioni glandis aliarumque partium ▽is ☿ialibus, ▽ *calc. viv* &c. optimè succurri potest, v. g.

℞. ▽ ☿l. *Ruland.* ℥ij. D. in vitro. S. Eiserlich Wässerlein.

Huc quoque referri possunt ob insignem exsiccandi & abstergendi virtutem *flores lap. calamin.* in præparatione orichalci exsurgentes, & superioribus furni partibus sese affigentes, *unguent. nobil. Mynsi.* ✠ ♄*nisat. liqv. stypt. decoct. myrrh.* ⊕*latum, decoctum ex thure, myrrhâ, aloë, lithargyr liqvor.* ☽*l. alb.* & ♂, *unguent. de cerussâ, diapomphol. de lithargyr populn alb.* ☿*ial. Hartmanni, balsf.* ♀, *de Peru, empl.* ☿*eum, lap. calamin. dia*♀*is Rulandi, saturnina, sticticum Crollii*, aliaque in ulceribus quoque vetustis venereis non parum proficua. Sic & conjuncto ardori & inflammationi ex dictis temperatiora apprimè debentur.

Ad CRUSTOSA TUBERCULA, inprimis in facie erumpentia, eradicanda, faciunt quoque Topica, v. g.

℞. *unguent. pomat.* ℥ß. *cosmet. Clav.* ʒß. *fl.* ♀ ℈ß.
⊖ ♀ gr. v. *magist.* ☿ *alb.* gr. xv. *masticb.* ℈j.
☍ *lign. rhod.* ℈ß. M. F. l. a. Unguentum,
S. Eiserlich Sälblein.

℞. un-

℞. *unguent diapomphol.* ℥ß. *pingued. ac. pisc.* ʒj. *essent. benz.* ʒß.
☍ amygd. amar. ℈j. ☍ ♆ p del ℈ß. *lign. rhod.* gtt. vi.
pulv. sigill. Salom. ʒß. *magist. sacch.* ♄ni ℈ß.
M. F. l. a. Unguent. S. ut supra.

Pro FAUCIUM ARDORE & malis, gargarismata temperantia, abstergentia & roborantia prosunt, *spec. pro gargar. cum lign. sanct.* ut & ▽ *virid. Hartm. aquæ* ☿*les ipsæ*, & similia, v. g.

℞. ▽ *prunell. plantag. scabios. nymph.* ā. ℥iß. *decoct. lign. secund.* ℥ij.
sir. de semperv. moror. ā. ℥ß. ⊕ *anodyn.* ʒj. M., D. in fictil.
S. Gurgel-Wasser.

DENTES in alveolis suis VACILLANTES mirè quoque juvat *Catechu*, de quo vid. *Hagendorn. tr. de Catechu, sect. 4. c. 2. art. 1. p. 53.* v. g.

℞. *pulv. irid. Florent. bistort.* ā. ʒj. *mastich.* ʒß.
▽ *Iappon.* ʒiß. *nuc. moscb.* ℈j. *mell. rosat.* q. s.
M. F. l. a. Unguent. S. Zahn-Sälblein.

℞. *silic. calcinat.* ℥ß. *catech. ppt.* ʒij. *rad. irid. Florent.*
sangu. dracon. oc. ♋. ā. ʒj. ○ *ust.* ℈j. ☍ *ros.* gtt. iij.
S. Zahn-Pulver.

CARUNCULIS seu verrucis penis pulvis sabinæ cum cerâ viridi applicari potest; quod si hisce non cedant, ☿♎ vel ♎tus cum viridi æris, & fermento, vel candelæ cereæ extremitati mixtus, loco carunculæ respondente, quale exemplum extat *Ephem. Germ. Ann. VIII. obs. 92. p. 153.* ▽*a viridis Sennerti in Instit. p. 1054. descript.* aliaque fortiora, quæ & symptomata reliqua respiciunt, in subsidium vocanda.

Huc tandem faciunt *balnea*, ad maculas reliquas, scabritiem & sordes adhibenda, v. g.

℞. *rad. oxylap. lil. alb. aristol. rot.* ā. ℥j.
herb. persic. sapon. scabios. fumar. agrimon. nepeth. abrot. ☿*ial.* ā. mij.
fl. sambuc. hyperic. chamom. verbasc. ā. mß.
baccar. laur. ℥j. *furfur. trit.* ℔ß.
♆ *viv.* ○, ⊕*l.* ā. ℥iß. Concisa D. in Chart.
S. species zum Bade.

CA-

Caput IX.

De Diæta.

Cum ſine legitimâ rerum nonnaturalium adminiſtratione optima etiam medicamenta non ſolùm nullum effectum edant, ſed & nonnunquam ſummè noxia ſint, non immeritò ſequentem ordinabimus DIÆTAM.

In NATURALI CIBI εὔπεπτοι, teneriores, boni ſucci, ex carnibus vitulinis, ovillis, hœdinis, vervecinis, perdicum, gallinarum, avium montanarum, ex ovis ſorbilibus, amygdalis dulcibus, aliaque laudabilem ſuccum optimumque nutrimentum præbentia, conveniunt. Acria verò, pinguia, nimis aromatiſata, ſale & fumo macerata, flatulenta, quæ ſerum exacerbare poſſunt, piſces, olera, fructus horrarii aliaque crudiora vitanda.

POTUS ſit cereviſia legitimè fermentata, tenuis, non lupulata nimis; vini verò potus parciſſimus vel nullus. Tenuis enim diæta morbo huic unicè convenit.

In VITALI AER ad calidum inclinet, ſit purus, omnium inquinamentorum expers. Frigori aliisque aëris injuriis ſeſe non exponat; frigus enim ſerum in receptaculis ſuis ſtatim condenſat, ejusque motum ordinarium facilè pervertit.

In ANIMALI SOMNUS ſit ſufficiens, ne vigiliis nimiis ſpiritus depauperentur, quibus depauperatis vires vacillent. Decumbendum quoque in latus alterutrum, ne ſupino ſitu calefactis vaſis majoribus, ſeminis profluvium promoveatur.

MOTUS nimius v. gr. ſaltationes, equitationes, aliaque hujus generis exercitia vitanda, quippe quæ ſanguinem in majorem motum citant, eumque fervidiorem reddunt, humores nimis commovent, hinc ſeminalem fluxum, dolores & ſymptomata alia adaugent, quin non rarò alia nova, v. gr. teſtium inflammationem, poſt ſe trahunt.

ANIMI PATHEMATA modum non excedant, ne vel concentrando & figendo nimis ſpiritus, vel commovendo nimis ſanguinem, humoresque alios in corpore exiſtentes, obicem curationi ponant.

ALVUS cum ob serum viscidum, tenax & lentum, adstricta utplurimum esse soleat, lenientibus supra dictis officii sui admonenda.

Ad Pygiaca sacra serò, nec nisi hoc morbo radicitus extirpato, redeundum. Occasiones tandem omnes, quibus contagium hoc vel de novo communicari, vel exacerbari potest, cane pejus & angue fugiendæ.

SOLI DEO GLORIA.

Quò magè difficilis labor atque industria major,
Major eò laus & pulchrior inde venit.
Indagare *Luis Veneris* causam atque ferocem
Naturam, Effecta & curam aperire probè,
Est operæ multæ res ingeniique sagacis,
Quam doctus LöwI sat labor iste probat.
Præmia ne dubites, Löwi, quin digna futura,
Et Tibi se propriam laus quoque magna dicet.

Hæc Præ-eximio Domino M. Löwio gratulab. adp.

Rud. Wilh. Krauß/D.
P. P.

E vulgo hic ſiphylin metuit, ſed negligit alter;
virtutis facie quin videas vitium.
Per quod quis peccat, per idem punitur & idem,
& tamen innocuos corripit illa lues.
Tu nitidam pellem, pulsâ contage, laboras
reddere, quo laudem, numine dante, paras.

Laudatiſſimis profectibus CL. RESPONDENTIS ex animo gratulor & applaudo

PRÆSES.

Quâ furtiva Venus lue fervida pectora vexet,
Et quæ tollat eam certa medela, doces.
Præmia digna Tibi Venus optatiſſima ſolvet,
Cui ſeſe ſocium Noſter Apollo dabit.
Ut Sophiæ lauru polles; ſic porrò coronâ
Te geminâ cingent, Phœbus & alma Venus!

Nobil. & CL. Domino Magiſtro LÖWIO, Medicinæ Candidato digniſſimo, Amico ſuo honoratiſſimo gratulab. poſ.

Auguſtinus Henricus Faſchius, D.
P. P.

In Symbolum

CL. DN. RESPONDENTIS:

Arte, Labore.

Arte, Labore, tuum fausto omine symbolon audit,
Hoc apices primi Nominis indigitant.
Longior Ars vitâ multum valet; æmula tentat
Naturæ, quicquid terra fretumque tenet.
Absque Labore tamen nihil efficit: iste subinde
Se socium jungit. Sic bene cedit opus.
Fortunante Deo tamen insimul omnia cedent
Prosperè, & absque Deo nîl Labor Arsque valet.
Hæc quorsum, LÖWI suavissime? scilicet Arte
Atque Labore tuo mutua signa dabas,
Non tamen absque Deo, Quod Dissertatio præsens
Testatur, meritæ laudis agalma tuæ.
Symbolum ut hocce brevi perfectum evadat, & adsit
Tertius, unanimi mente precamur ei.
Scilicet insignem præmissa *Licentia* sueto
Doctoris titulum juraque more ferat.
Hoc ita perfectum Tibi erit de Nomine trinum:
Arte, Labore, Deo! Tum bene quæq; fluant!

Hæc Cl. Domini Autoris - Respondentis, Cognati, Amici & Convictoris sui honoratissimi, debito honori tribuere voluerunt

Cognati & Convictores reliqui.

* * *